

Sentenzen, sandte sie nach Gallien und stellte dadurch im zweiten arausikanischen Concil (529), welches diese Sentenzen adoptirte und verwerthete, Friede und Ruhe her. Bonifaz II. (530—532), der die augustinisch-arausikanischen Beschlüsse bestätigte, rühmte in der bezüglichen Urkunde aufs Neue Augustins Gnadenlehre. Papst Johann II. (533—535) wiederholte die gewichtigen Worte des hl. Hormisdas, dass nämlich die römische Kirche in der Gnadenlehre dem hl. Augustin folge.

Bei solcher Sachlage ist es schwer, wo nicht unmöglich, zu glauben, dass, wer im 5. oder Anfangs des 6. Jahrhunderts die Gnaden- und Prädestinations-Lehre Augustins bestritt, nicht gegen die Kirche ankämpfte; noch schwerer aber ist es zu glauben, dass der hl. Augustin selbst je gestattet habe, eine Prädestinations-Lehre vorzutragen, die der seinigen widersprach, oder dass er seine Gnadenlehre nicht für die allein orthodoxe und allein berechnete angesehen und ausgegeben habe.

## De officii seu cursus Romani origine.

Scriptis Suthbertus Baeumer, presb. et mon. Abbatiae Maredsolensis.

### Propylaeum.

1. Duobus abhinc annis in foliis Moguntinis quibus germanicum nomen „Der Katholik,“ demonstravimus duas praecipuas officii divini partes, Laudes nempe Matutinas et Vespertinas, inde ab Apostolorum tempore, et quidem intra annos quinquagesimum et sexagesimum quintum post Christum natum, institutas fuisse quotidie celebrandas. Quarum ritus precesque nonnullae ex primorum saeculorum usibus nobis traditae, tantam cum ritibus a judaico populo in matutino sacrificio et vespertino observatis affinitatem prae se ferunt, ut tanquam accommodatio quaedam ad novam legem et perfectio eorum, quae a Deo pro servitio templi ad matutinas vespertinasque preces ordinata fuerunt, haberi merito debeant. („Katholik“ 1887. mense Aprili.)

2. Porro ex primorum saeculorum scriptoribus ostendebatur, inter reliquas Horas, *παινώχια* seu Vigiliis nocturnas, quae nunc „Matutinum“ appellari solent, tempore persecutionum institutas esse, et in determinatis tantum solemnitatibus locum habuisse, saeculo vero quarto in Orientalibus regionibus praesertim apud monachos, quotidie vel omnibus noctibus agi coepisse. Diurnae autem, seu quas dicunt „Horas Apostolicas“ i. e. Tertia, Sexta, Nona, quarum in Actibus Apostolorum fit mentio, non nisi diebus stationum, hoc est, feriis quartis et sextis per hebdomadam aliisque quibusdam jejunii diebus, publice et solemniter agebantur, dum reliquis diebus fideles privatim quasdam eisdem horis preces recitarent.

3. Postea, ostendere satagemus, qua ratione factum sit, ut reddita Ecclesiae pace et haereseon monstris devictis, saeculo scilicet quarto exeunte vel quinto mediante, Officia divina accreverint, et praesertim a monachis, et quibusdam Episcopis e monachorum agmine ad pontificias cathedras assumptis ibique et doctrina et sanctitate fulgentibus, tam in Occidente quam in Oriente magis magisque exulta, disposita, perfecta fuerint.<sup>1)</sup> Etenim cum ad sacrae Missae Liturgiam reformandam Doctores Graeci et Syriaci jam operam studiumque navassent et in Missâ multa ad expeditiorem formam redegissent, adaucto officii divini penso, Romani quoque Pontifices pro Patriarchatu latino non solum sacrificii eucharistici ritui, sed etiam Horariarum precum officio seu operi divino perficiendo et excolendo manum admoverunt. Itaque ex istius temporis scriptoribus apparebat sub ss. Pontificibus Damaso I. († 384), Coelestino I. († 432), fortasse etiam Leone I. († 461), Gelasio († 496), aliisque Psalmos et Cantica, in canonicis Horis per hebdomadam publice recitanda, ordinata fuisse et summis quibusque officiis assignata, additis antiphonis lectionibusque.<sup>2)</sup> Ad

<sup>1)</sup> „Katholik,“ mensibus Februar., Mart., April. 1888.

<sup>2)</sup> En loca S. Scriptura, et testimonia SS. Patrum, aliorumve Scriptorum quibus innixi sumus ad probanda seu fulcienda quae affirmaveramus, et quorum mentio uni alterive lectori forte lucem majorem petenti grata erit:

a) De Judaico sacrificio iuxta legem divinam in templo summo mane ac vespere quotidie celebrando: Et imprimis Exod. 29, 38—39; 30, 7—8. Num. 28, 3. I. Paral. 23, 30. Daniel 6, 10—11. Luc. I, 10. Act. III, 1. — Lightfoot, opp. omnia edit. 2. cur. J. Leusden Franequerae 1618. tom. II. pag. 142. ad ann. 70; et Horae hebraeae. ibid. 490 et 301; et ejusd. op. tom. I. pag. 699. De ministerio templi cap. 7. sect. 2. nr. 3. — Cour. Iken, Tractatus talmudicus de cultu quotidiano templi. Bremae 1736. Mischnah Megilla III, 5—6 et Tamid 7, 4 vide opp. Schulchan Arukh, Basileae 1887. Orachajim § 1. art. 1 seq. — Zunz, Die gottesdienstlichen Vorträge der Juden, Berlin 1832. S. 2—6, 120, 312—330. Keil, Handbuch der bibl. Archäologie. Frankfurt 1875. 2. Aufl. S. 373.

b) De modo determinatis temporibus orandi primaevae Ecclesiae temporibus. Act. I, 14; II, 15 et 46, III, 1, V, 12, 20, 42, VI, 4, X, 9, XX, 16. I. Corinth. 14, 26; Coloss. III, 16 et IV, 16. I. Timoth. 2, 1 et 4, 13. [cum Commentariis Patrum graecorum et latinorum in hunc locum quos a. 1886 in tractatu de „Missâ et Litaniam“ in hisce foliis (tom. VII, II, pag. 285 seq.) allegavi vide etiam Döllinger, Christenthum und Kirche zur Zeit der Grundlegung, Regensburg 1860. S. 348 et 355.] *Ἀπολογία* sive Doctrina duodecim Apostolorum cap. VIII. nr. 3. edit. Funk, Tübingae 1887, pag. 24. S. Clemens Rom. epist. I. ad Corinth. cap. 40 et 42. P. Gr. I, 287—292, edit. Gebhardt et Harnack, Lipsiae 1876, pag. 65. S. Justinii Apolog. II. nr. 18. Plinii, Epist. X, 97. Tertullian. de orat. c. 25. P. L. 1, 1192 et 1203. De jejuniis seu adv. Psychicos c. 10. P. L. 2, 966 et 1017. ad uxorem II, 4 et 5. P. L. 1, 1294—1296. Apoget. c. 39. — Clemens Alex. Strom VII, 7 et 12. Paedag. II, 1, 4 et 9. P. Gr. 8, 388, 444, 493 et 9, 456, 469 seq. 504. Origenes, De orat. c. 12. P. Gr. 11, 452 c—d; et contra Celsum VI, 41. ib. 1360a, cf. „Orationes et deprecationes matutinae“ in Comment. Job inter Opp. Orig. P. Gr. 17, 512 B. — S. Cyprian. De orat. Dom. c. 29, 34 et 35. P. L. 4, 538 et 541 seq. Canonis S. Hippolyti ed. Haneberg Monachii 1870, can. 19—26; 34 et 35, pag. 75—94. Constit. Apost.

instar usuum et traditionis Ecclesiae Hierosolymitanae, ratione mysteriorum anni ecclesiastici, textus novi pro Antiphonis, Responsoriis, lectionibus, hymnis, vel etiam novus modus in deligendis psalmis et canticis tunc temporis ritui veteri adjecti sunt.

4. In hisce autem periodicis <sup>1)</sup> probare conati sumus, nonnulla in Breviarii Romani dispositione sive in Psalterio per hebdomadam distributo a Regula et institutis S. P. Benedicti fuisse derivata. Postremo in Moguntino periodico jam laudato iterum disquisitionem instituimus (a. 1889 mensibus Febr. Mart. April. Maj. et Jun.) de mutationibus, quas subierit officiorum ordo inde a septimo ad duodecimum saeculum i. e. a S. Gregorio I ad S. Gregorium VII vel usque ad Innocentium III († 1216), tractaturi denique de variis eorundem officiorum vicibus ad Sanctum usque Pium V et Leonem XIII gloriose regnantem.

Itaque quum ea, quae in medium protulimus, germanico idiomate scripta sint, non abs re visum est, praesertim eruditis et amicissimis viris id postulantibus, latino nunc sermone eadem ob lectorum oculos ponere, ut quinam sit nostrae argumentationis scopus, quibusque rationibus innixi nostram probaverimus sententiam, plane et illi videant, qui germanicam non callent linguam. Quorum quidem precibus eo libentius annuimus, quod in hoc ipso periodico <sup>2)</sup>

lib. II. c. 36 et 59, VII. 47—48 et VIII. 36—37. P. Gr. I, 685, 742 seq. 1055 et 1138. vide etiam Probst, Liturgie der 3 ersten Jahrh. et Lehre und Gebet in den 3 ersten Jahrh. Tubingae 1870—1871, S. 349—362.

c) Pro quarto saeculo tam in Oriente quam Occidente: S. Athanas. de fuga nr. 24. P. Gr. 32, 764. et de Virginit. c. 20. S. Basil. ad Cler. Neocoes. ep. 207. P. Gr. 32, 723 nr. 3 et 764; in Ps. 114. P. Gr. 29, 484. S. Basil. de Spir. s. cap. 29. nr. 73. P. Gr. 32, 205 et Reg. fusior. 37. P. Gr. 31, 1013 seq. S. Pachom. Reg. c. 16. P. Gr. 40, 949 et P. L. 23, pag. 65 seq. cap. 3—25. Cassian. de instit. Coenob. lib. II. et III. P. L. 49 de quo infra. Pallad. Hist. Laus. c. 38. P. Gr. 34, 1100 seq. Sozomenus, hist. eccl. III, 14. P. Gr. 67, 1072 seq. S. Hilar. in Ps. 64. nr. 9. P. L. 9, 420. Peregrinatio Silviae (a. 386) ed. Gamurrini. Romae 1887, pag. 76—81. S. Gregor. Magni lib. IX. epist. 12. P. L. 77, 956. — S. Siricii epist. ad Himer. Tarrac. c. 3. P. L. 13, 1135. S. Innocentii I. ep. ad Decent. Eug. P. L. 20, 552, nr. 2 et 3. Theodoret. Hist. eccl. II, 10. S. Ephraem Syr. De beatitud. ur. 55 inter graeca et lat. in edit. Romana a. 1746. tom. I. pag. 290; de psalmo et de orat. sermo tom. III. p. 17—21. Euseb. Caesar. Comment. in Ps. 89. P. Gr. 23, 1139. Epiphanius adv. haeres. III. c. 23. P. Gr. 42, 829. — S. Basil. ep. 307 l. c. S. Greg. Naz. or. 20. P. Gr. 35 coll. cum Procli de trad. div. Missae. P. Gr. 65, 653 seq. et cum iis quae a. 1888. „Katholik“ I, 182 diximus. Socrates, Hist. eccl. IV, 23 d, et VI, 8. P. Gr. 67, 523 seq. De SS. Hieronymi, Ambrosii aliorumve dictis vide infra p. 367 et 372 et Pleithner, Aelteste Geschichte des Breviergebetes. Kempten 1887, pag. 146—203. Illa autem quae apud S. Athanas. Apologia de fuga sua. 2—6. P. Gr. 25, 646 seq. et apud S. August. Confess. X, 33 et 37 inveniuntur quamvis alioquin pretiosa, non tamen sunt ejusmodi, ut ex iis aliquid specialiter ad scopum nostrum spectans deducere queas.

<sup>1)</sup> „Studien“ 1887. I. et II. pag. 1 seq. et 157 seq.

<sup>2)</sup> „Studien“ 1889, pag. 52 seq. ibid. n. 1. et 235 seq., 241 nota 1 et 53 nota 1.

nonnulla scripta fuerint, e quibus perspeximus non ita probe intellecta fuisse quae hâc de re diximus.

Argumentum: Animus igitur est ostendere, qualis temporibus Sanctissimi Patris nostri Benedicti, saeculo scilicet quinto et sexto, fuerit officii seu cursus Romani forma; et rursus qualis fuerit sequentibus temporibus, saeculo nimirum septimo, octavo, nono; ut institutâ comparatione versus Regulae inelyti monachorum Patriarchae in formando Romano Breviario seu potius in eo perficiendo influxus pateat. Quâ quidem in re spe ducor fore, ut clarescat, utrum veritati historicae aliquid luminis addiderim, annon. Candide autem fateor hoc affirmandum videri.

Ne mireris, abundanter a nobis scriptorum loca fuisse indicata; ea enim est laboris nostri indoles, ut omnem suum valorem a documentis mutuet. Idcirco nihil pronuntiare volumus, quod auctoritate sua non firmetur.

Sit ergo:

### Propositio I.

Inde a saeculo quinto apparet Officii divini ordo seu Psalterii in varias Horas distributio, vel ut vulgo dicebatur cursus, secundum quem Officia Vigiliarum, Laudum, Vesperarum et trium vel quatuor minorum Horarum celebrabantur. — Quisnam fuerit hujus Ordinis auctor, minime constat, videtur tamen sub sanctis Pontificibus Damaso († 384), Coelestino († 432), Leone († 461), Gelasio († 496) redactus esse, et ab uno ex istis vel ab omnibus successive, ut ita, suos quisque ad unam eandemque rem perficiendam labores adjecerit, originem duxisse. — In ipso tamen cursu illius temporis non adest vestigium Completorii tamquam canonicae Horae a Vesperis separatae.

### Propositionis thesis I.

Saeculo quarto exeunte apparent Officia Vigiliarum, Laudum, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperarum. Initio saeculi quinti additur Prima.

Primo loco investigandum videtur, quot et quae fuerint Romae vel in patriarchatu Romano per saeculum quintum et sextum Horae canonicae quotidie celebrandae.

1. *Scriptores saeculi quinti* haec de re agentes sunt:

a) S. Hieronymus; epist. 22 ad Eustoch. cap. 37, a. 384 scripta; epist. 107 ad Laetam, scripta anno 403, cap. 9; epist. 108 ad Eustoch. scripta a. 404, in epitaph. Paulae matris. c. 19; epist. 125 ad Rustic. scripta a. 411; postremo in epist.

130 ad Demetriadem a. 414 scripta c. 15.<sup>1)</sup> Omnibus his locis sanctus Doctor fere easdem Horas tanquam canonicas et officia divina enumerat. Sufficiant quae ad Demetriadem a. 414 scribit: „Praeter Psalmorum et Orationis ordinem, quod tibi Horâ Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, Media Nocte et Mane semper est exercendum, statue“ etc. l. c. 1119. Ultimum officium vocat lucernale seu Vesperas seu gratiarum actionem vespertinam, seu sacrificium vespertinum accensa lucernula reddendum. Item in Appendice ad opp. S. Hieronymi.<sup>2)</sup>

Summa eorum quae habet S. Doctor haec est: Sex horae canonicae seu officia divina ipsius aetate in universa Ecclesia usu recepta erant: 1. Vigiliae nocturnae, quas nunc Matutinum vocamus, 2. Laudes (quae tunc temporis sub nomine Matutini vel Matutinorum usu veniebant), 3. Tertia, 4. Sexta, 5. Nona, 6. Vesperae.

b) Accedit Joannes Cassianus († 435), qui in libris, quos de institutis Coenobiorum a. 417 conscripsit, multa nobis de officio divino refert praesertim apud Monachos tam orientales quam occidentales celebrato; verum et de modo per Italiam illud celebrandi pauca quidem sed venusto enarrat stilo. Invenies totum hunc tractatum in tomo 49. Patrologiae latinae editionis Migne. Ibidem<sup>3)</sup> legimus, Officium Primae tamquam „novellam solemnitate“ vel alteram Matutinam circa annum 400 apud monachos Bethlehemiticos institutum fuisse, posteaque in Occidentis regiones Italiam, Galliam, Hispaniam paulatim transiisse. Sed non illico ubique recepta fuit haec novella Hora. Alia de officio ad propositum nostrum pertinentia habet in lib. II. et IV.<sup>4)</sup> Sic autem additâ Primâ septenarium numerum officiorum completum fuisse ait, scilicet: Nocturnum, Laudes (seu Matutina), Prima (novella solemnitas seu secunda Matutina), Tertia, Sexta, Nona, Vespera. Lib. III. c. 4. pag. 130. Itaque cum per has demum horas sacratum numerum adimpleri affirmet, ea quae lib. IV. cap. 9. de Psalmis „quos quieturi ex more decantant“ (pag. 179) aut de precibus Vespertinis, quas „accensa lucerna,“ canere solebant aut de psalmis Dominico die post coenam ingratiarum actionem dicendis intelligendi sunt. Quod insuper probatur ex decimae Collationis capite 36,<sup>5)</sup> ubi dicitur: Noctis adventu vespertina synaxi celebrata, sopore paulum membra laxavimus, primo diluculo reversuri.

Summa: Saeculo quinto apud monachos Orientis et sparsim in Occidente septem Horae seu officia canonica celebrabantur:

<sup>1)</sup> apud Migne Patrol. lat. tom. 22, col. 421, 875, 896, 1109.

<sup>2)</sup> Breviar. in Psalmos P(atr) L(at.) 26, 1352.

<sup>3)</sup> in libr. III, Cap. 4 et 6. P. L. 49, 127--136.

<sup>4)</sup> libr. II. capp. 4 et 6, 7 et 10., in libr. III. cap. 2 et 3; in libr. IV. cap. 9. P. L. 49, 112--179.

<sup>5)</sup> P. L. 49, 818.

1. Vigiliae (Matutinum), 2. Laudes (scilicet Matutinae), 3. Prima (quae vocatur secunda Matutina seu novella solemnitas), 4. Tertia, 5. Sexta, 6. Nona, 7. Vespera.

c) Plura, ast haud ita valde explicita, inveniuntur in Epistolis Sidonii Appollinaris. [† 487]<sup>1)</sup> et apud Gennadium de eccles. Script. circa 495.<sup>2)</sup>

d) Porro Acta Sanctorum istius saeculi percurrere ne neglexeris; plura enim illa habent de opere Dei seu canonicis precibus. Satis sit nominasse Vitam S. Melaniae junioris circa annum 451 scriptam, quam ex codice octavi saeculi Patres Bollandiani hoc anno ediderunt,<sup>3)</sup> praesertim pag. 49—61 ubi de „statuto canone“ et de „consuetudine Romana“ sermo. Habentur ibidem sex tantum Horae: Nocturnum, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria; nil de Prima nec de Completorio. — Praeterea in Actis Sanctor. Boll. tom. I. Novembr. (die 3) pag. 802 ubi posterioribus saeculis „de omni cursu peragendo“ agitur et septem Horae nominantur, Prima sub nomine „secundae Matutinae,“ sed nil de Completorio. Vide etiam Acta SS. Juliani et Basilissae saeculo quinto, nisi tardius, conscripta; tom. I. Boll. Januar.<sup>4)</sup> Quae passim ab aliis hujus saeculi scriptoribus in medium proferuntur, aut minoris momenti sunt, ita ut negligi queant, aut si inde lucem aliquam ad quaestionem nostram illustrandam sperare licet, inferius processu nostrae discussionis late exponentur. Sed id jam praeripiendum censeo, nullibi mentionem expressam de Completorio tanquam de Hora a Vesperis sejuncta inveniri.

2. *Saeculo sexto* occurrunt: S. Caesarius Arelatensis † 542, cujus Regulae<sup>5)</sup> multa de officiis continent („Canonici psalmi“). Sanctorum episcoporum Ferreoli et Injuriosi dicta et acta officium div. spectantia lege in Patrol. lat. tomo 66 vel apud Mabillonium in disquis. de Cursu Gall. nr. 35 et 38.<sup>6)</sup> Monet Mabillonius l. c. Caesarium Primam nonnisi Dominicis diebus recitari jussisse, ut in Regulis habes. Quae autem de Lucernario et Duodecima ibi dicuntur, non de duabus Horis intelligenda sunt, sed de uno longissimo et solemissimo Vesperarum Officio, quod in ritu tum Gallicano tum Mozarabico plures in partes dispescitur, quemadmodum etiam apud nos nunc Vigiliarum officium nocturnum dividitur. Deinde tibi considerata sunt quae S.

<sup>1)</sup> IV, 11 et V, 17 P. L. 58, 515 et 547 et passim.

<sup>2)</sup> v. g. in vitis Salviani, Musaei, Claudiani, Gelasii P. L. 58, 1099 seq.; vide etiam de eccles. dogmat. cap. 30. ibid. 987 et 1624.

<sup>3)</sup> Cf. Analecta Bollandiana tom. VIII. (fasc. 1. 1889) pag. 16 seq.

<sup>4)</sup> die 9. pag. 573 et 579.

<sup>5)</sup> ad Monachos P. L. 67, 1099 seq. et Reg. ad Virgines § 11 et 12. apud Bolland. Acta St. die 12. Januar. II, 17.

<sup>6)</sup> vel P. L. 72, 597 seq.

Nicetius Trevirensis Episcopus († 566) de Vigiliis servorum Dei et de psalmodiae bono scribit; <sup>1)</sup> necnon ea, quae S. Aurelianus Arelatensis Ep. † circa 585, in suis Regulis habet. <sup>2)</sup> Nam quod istorum Gallorum ritus illo tempore nondum ita valde a Romano discrepabat, ex Marchesi (La liturgia Gallicana, Roma 1867) et Probst (Gallik. Lit. „Katholik“ 1886 Januar) colligere fas est. Neve praetermittas Cassiodorii † 565 expositionem Psalmi 118. vers. 164. <sup>3)</sup> Juvat etiam tanquam testem hic afferre, Regulam S. Patris nostri Benedicti quae in cap. 13. de psallendi consuetudine Romana loquitur; et S. Columbanum, qui <sup>4)</sup> ordinem quandam tanquam „canonicum modum“ et „seniorum traditionem“ memorat. In Actis quoque Sanctorum Hiberniae, quae ex Codice Salmanticensi a. 1887 Brugis impressa sunt, plura de divinis Officiis inveniuntur; imprimis in vita S. Brendani [† circa 590]. <sup>5)</sup> Sed cave ne huic vitae nimium auctoritatis tribuas; quia, medio aevo conflata, in multis a S. Gregorio Magno fere unice pendet. Deinde legem civilem anno 529 a Justiniano imperatore latam inspicias, <sup>6)</sup> ubi de Vigiliis nocturnis, de Laudibus matutinis et vespertinis agitur. Postremo Canones adhibendi sunt eorum Conciliorum, quae, quamvis non Romae habita, Romanae tamen consuetudinis pluribus in locis rationem servant et respectum, ut Concilium Agathense a. 506, can. 30; Vasense II. a. 529, can. 3—5, Bracarense I. a. 563. in „Capitulis“ can. 1 seq., Turonense II. a. 567, can. 18. <sup>7)</sup> Si praeter hos forte alios, quos omiserim, quique prorsus novam lucem nostrae elucubrationi spargant, repereris, felicissimum te ducturus, sum; verumtamen monebo, ne documenta liturgica vetustissima, quae inter Opera Thomasia, Mabillonii, Muratorii, Martenii, Morini, aliorum, sparsa vel recens edita inveneris, facile et sine sufficienti ratione saeculo sexto tribuas vel appelles „Antegregorianas.“ Ut exemplo utar, „antiquus ille ordo psallendi Ecclesiae Romanae“ qui est a beato J. M. Tommasi Romae 1697 editus, et quem nonnulli saeculo sexto vel quinto tribuunt, certo non tantâ gaudet venerandae antiquitatis auctoritate. Codex enim manuscriptus, e quo iste ordo sumptus est, omnium peritorum iudicio saeculo nono minime vetustius est. Si instas, fieri posse, ut ille codex tunc temporis ex alio quinti vel sexti saeculi ad verbum transscriptus fuerit;

1) P. L. 68, 365 seq.

2) P. L. 68, 393 et 403.

3) in Patr. lat. 70, 895.

4) Reg. cap. 7. P. L. 80, 212—213.

5) cap. 31. pag. 133 s<sup>o</sup>q.

6) Cod. lib. I. tit. 3 de Episcopis et clericis l. 42 (alias 41) § 10 in ed. Lipsiae 16ma auct. Kriegel et Hermann tom. II. pag. 39.

7) apud Harduin. Concilior. Collect. tom. II. 995 et III. 347 et 355 seq. et Hefele Hist. Conc. II., III. et IV.

respondebo, illo aeyo libros liturgicos non, ut nunc moris est, prae archaeologiae amore et antiquitatis studio, sed unice ad usum practicum seu pro Ecclesiarum et cantorum et precatorum comodo transseribi solitos, semperque ea quae praesentem tunc temporis utilitatem speetabant, adiciebantur seu mutabantur. Proinde ex illo codice nil certi de usu quinti vel sexti saeculi statui potest.

**Propositionis primae pars sive thesis altera.**

Quisnam fuerit auctor „Cursus“ et Ordinis Officiorum saeculo quinto et sexto Romae vigentis, minime constat. Fortasse uni alterive ex SS. Pontificibus Damaso, Coelestino, Leone, Gelasio adscribendus videtur.

Valde arduum est indicare, quonam tempore Romae primum a Summo Pontifice ea, quae a Monachis jam usurpabantur, Clero Urbis vel Metropolis Romanae praescripta fuerint, et quando potissimum antiquus ille ritus, quem ex Constitutionibus Apostolicis et Hippolyto supracitatis ubivis terrarum viguisse perspeximus, in majorem, Horarum et variarum precum vel cantuum numero ditatum, et ante Gregorium Magnum Romae receptum, acceverit. Certe ex S. Patris Benedicti Regulae capite 13. intelligitur, initio saeculi sexti usu venisse in Ecclesiâ Romanâ quandam Psalmorum et Canticorum per Horas canonicas distributionem. Cumque aliunde constet, S. Gelasiam Papam haud secus pro Officio divino quam pro sacrae Missae liturgiâ nonnulla ordinasse ac praescripsisse,<sup>1)</sup> fortasse ab hoc S. Pontifice derivandus videri poterit. — De Sancto quidem Leone I. aliqui medii aevi et recentiorum temporum scriptores affirmavere, ipsum sacrae Liturgiae perficiendae et excolendae operam dedisse, sed aliquid certi de eo probari nequit, ut in Balleriniorem praefatione ad Sacramentarium Leonianum ostenditur.<sup>2)</sup>

Porro S. Coelestinum I. nonnulla instituisse, quibus divinus cultus augetur et perfectius ordinaretur, auctor est Liber pontificalis, in quo haec habes: „Constituit, ut Psalmi David centum quinquaginta aute sacrificium psalli antephanatim,

<sup>1)</sup> S. Pius V. in Bulla „Quod a nobis“ 9. Jul. 1568; S. Gelasii Tract. apud Thiel, Epist. Rom. Pontiff. I., 454 et 458 sq. nr. 4 et epist. 42, n. 2; Gennad. de script. eccles. cap. 94. P. L. 58, 1115; Liber pontificalis in Vita S. Gelas. I. apud Duchesne I, 257—257. cf. Joh. Diac. in Vita S. Greg. III, 6.

<sup>2)</sup> Migne P. L. 55, col. 12—14. cf. Duchesne, Origines du culte chrétien, Paris 1889, pag. 128—137. Quae vero clarissimus ille auctor de S. Gelasio dicit, nempe eum non posse haberi auctorem alicujus saltem libri liturgici seu Sacramentarii, haud sufficienter probata videntur. cf. Grisar, Zeitschr. kath. Theol. Innsbruck 1885, pag. 388.

quod ante non fiebat<sup>1)</sup> Utrum vero haec de sacrificii Missae Liturgiâ tantum, ut veteres affirmant, an etiam de canonico Horarum officio, ut Duchesne (l. c. 231, nr. 1) vult, et de psalmodiarum hunc in finem per horas distributione intelligenda sint, difficile est dictu.

Ex epistolis SS. Pontificum Siricii (ad Himerium Tarracon. c. 3. P. L. XIII, 1135) et Innocentii I. (ad Decent. Eugub. P. L. XX, 552, nr. 2 et 3) facile eruitur, ipsorum tempore vel haud multo antea, de sacris ritibus nova quaedam constituta fuisse. De sancto autem Damaso Gregorius Magnus asserit, quaedam ab eo in sacra Romana liturgiâ originem duxisse, et ab Oriente vel potius speciatim ab Hierosolymorum Ecclesia deprompta fuisse,<sup>2)</sup> quamvis ea quae alioquin de ipso Damaso tamquam auctore Cursus Romani et septem vel octo divinatorum Officiorum institutore, falsa et fabularum plena atque apocrypha censenda sint, ut infra demonstrabimus, pag. 378 et 379.

Restat ut eorum quae in S. Silviae peregrinatione ad loca sancta (circa a. 385) occurrunt, brevem mentionem faciamus. Loquitur enim illa de „consuetudine quae ubique fit“ quoad Officia Dominicalia, et de consuetudine „cotidiana“ quoad „Lucernares“ seu Vesperarum officium.<sup>3)</sup> Ex his forte concludendum videtur, in fine saeculi quarti vel inde a temporibus S. Damasi in Ecclesiam latinam vel Romanam orientalium et Graecorum usus quosdam pro officio canonico pontificiâ auctoritate introductos fuisse, moremque monachorum, qui ut ex S. Basilio ceterisque Orientis supracitatis scriptoribus constat, vetustissimam Officii formam ampliaverant, mutatis mutandis Romae adoptatum fuisse.<sup>4)</sup> Quomodo haec officia accreverint, et quaenam fuerit hujus Ordinis seu psalmodiarum distributionis forma a S. Damaso aut a Gelasio aut a Coelestino probata, infra dicetur.

### Propositionis primae thesis tertia.

Completorium ante S. Benedictum tamquam Hora canonica seu ecclesiastica non occurrit.

De saeculi quinti scriptoribus jam statuimus, in illorum dictis nil de Completorio haberi. Nunc de aliis videndum, videlicet de quarti et sexti saeculi auctoribus, qui aliquid hujusmodi habere quibusdam videntur.

<sup>1)</sup> Duchesne, Le lib. pont. I, 230. Videantur fragmenta Liturgiae S. Coelestini apud Wright, Liturgy of Celestine, Journal of sacred Literature, London 1867, April, pag. 232.

<sup>2)</sup> S. Gregor. epist. IX, 12, P. L. LXXVII, 956.

<sup>3)</sup> Silviae Peregr. eo. Gamurrini, Romae 1887, pag. 80 et 81 et 84 sq.

<sup>4)</sup> Thomassin, Vetus et nov. Eccl. discipl. de benef. Part. I. lib. II. cap. 71, nr. 6 et 72.

1. Ante omnes memorandus est, S. Basilius Magnus. Qui quamquam in Regulis fusius tractatis<sup>1)</sup> ait, Completa die ac rursus nocte incipiente petendum esse (Καὶ πάλιν τῆς νοκτὸς ἀρχομένης) „qua hora etiam nonagesimus psalmus necessario dicatur,“ tamen hujusmodi verbis noluit indicare duo officia separatim agenda „completa die“ i. e. lucerna accensa (λυχνιζόν) et iterum „nocte incipiente“ alterum, scilicet Completorium, postea Nocturnum. Minime gentium! Conjectio illa seu particula πάλιν, „rursus“ hoc tantum insinuat, praeter illam rationem sero orandi qua gratias Deo agamus pro completi diei beneficiis, aliam adhuc adesse rationem isto tempore orandi, nempe ut per noctem, quae jam incipit „libera quiete fruamur.“ Haec autem precatio pro libera requie in Oriente toto quarto saeculo et quinto in fine Vesperarum recitabatur, uti ex aliis S. Basili locis in eadem Regula et infra, et ex Constit. Apost. lib. VIII cap. 36 et 37 et S. Joh. Chrysost. serm. 6 in I. Timoth. 2, 1 satis constat. Istitis ergo precibus adjugebat S. Basilius psalmum 90. non tanquam officium separatim, sed ut conclusionem orationis vespertinae initio noctis celebrandae.

Primam igitur adumbrationem quandam in S. Basilio habemus earum precum, quae postea magis magisque ampliatae id constituturae erant Officium, quod a S. P. Benedicto completorium vocatum est. Sed non jam ejusmodi preces a Vesperis junctae fuere.

Hoc ex alio loco operum S. Basili optime confirmatur. In sermone enim ascetico<sup>2)</sup> agit de septem orationis Horis juxta Ps. 118 v. 164. Postquam enumeravit Horas Vigiliarum seu Nocturnorum, Matutinorum seu Laudum, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperarum, sistit: „haec tamen, inquit, orandi tempora non explent septenarium numerum.“ (ὅτι πληροῦσι τὴν ἑβδομάδα προσευχῶν.) „Et propterea dividenda est Hora sexta.“ Fecit ergo duas partes Sextae separatim recitari, ut una dicatur ante cibum, altera post prandium, in qua quidem praeter alias preces etiam Ps. 90 cantari jussit. (cf. l. c. pag. 1013—1014.) Jam vero si ipse S. Doctor Completorium tanquam officium proprium et a Vesperis separatim habuisset, certe inutilis erat artificiosa ista Horae Sextae divisio, qua septenarium numerum obtineret. Neve autem istum sermonem vel ista verba forte post S. Basilium scripta fuisse, nec omnino ejus esse foetum. Nam eo evidentius erit argumentum ad fulciendam thesim nostram; quia notissimum est, post Magni Doctoris mortem monachos graecos fidelissime ejus regulas observasse ita ut Basiliani dicerentur. Si ergo centum annos post S. Basilium aliquis eorum auctoritate

<sup>1)</sup> interrog. 37 (Patrol. graeca 31, 1015—1016).

<sup>2)</sup> P. Gr. 31, 878 nr. 4.

plenus et in superiori gradu constitutus talia proponebat, manifestum est apud Basilianos monachos Completorium nec illo tempore tamquam Officium Canonicum a Vesperis distinctum apparuisse. — Iuvat hic animadvertere, S. Ambrosium, qui ut patet ex S. Basilii epistola 197<sup>1)</sup> aliisque, cum lumine Cappadociae et totius orientalis Ecclesiae frequentes litteras communicabat et ab eo pro Ecclesiae suae regimine consilia petebat, ipsum primo episcopatus sui tempore in divisione Sextae („cum cibum paramus sumere“ „cum sumpserimus“) forte imitatum fuisse, de quo mox dicendum.

2. Jam ad S. Ambrosium veniamus. In hymno quodam ad Sextam „Bis ternas Horas explicans,“ qui a multis S. Ambrosio tribuitur, quamvis haec opinio non ab omnibus admittatur, haec de statis precibus occurrunt:<sup>2)</sup>

Nos ergo nunc confamuli,  
 Prophetæ dicti memores,  
 Solvamus ora in canticis  
 Pree mixta Davidicis  
 Ut septies diem vere  
 Orantes cum psalterio  
 Laudesque cantantes Deo  
 Laeti solvamus debitum.

(P. L. 17, 1173—1174.)

Primum animadvertas oportet, in illo „septies“ hujus hymni auctorem (si modo S. Ambrosii est) nil speciatim de Horis dicere, quibus orandum sit. Ergo hoc ex aliis Mediolanensis Doctoris scriptis eruendum est. Dicit autem in libro tertio de Virginibus:<sup>3)</sup> „Si enim propheta dicit: Septies in die . . . Quid nos facere oportet? Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendae, cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, et hora incensi, cum denique cubitum pergimus.“ Haec si ad litteram premis, certo non inuenies septenam laudis divinae orationem; neque unquam apud Patres vel in Ecclesia Horae canonicae illis verbis „cum prodimus,“ „cum cibum paramus sumere et cum sumpserimus,“ designantur. Scripsit autem illa S. Ambrosius ad Virginem sororem suam Marcellinam, tertio Episcopatus sui anno id est a. 377, itaque privatam forte innuere vult orationem. Si vero „cubitum pergere“ pro Completorio

<sup>1)</sup> P. Gr. 32, 709.

<sup>2)</sup> Testem adducunt ii, qui affirmant Ambrosii esse istum hymnum, Cassiodorum de quo infra. At ille circa annum 550 scripsit. Ex Regula autem S. Benedicti scimus, illo tempore omnes fere hymnos metricos dictos fuisse „Ambrosianos,“ quin S. Episcopi foetus genuini essent.

<sup>3)</sup> Cap. 4. nr. 18 (P. L. 16, 225).

sumis, dicendum tibi erit S. Doctorum Vigiliis, celeberrimum illud Officium nocturnum, pro canonico officio non habere. Fortasse cubitum pergere perinde est ac interruptum somnum continuare; videas Prudentii hymnos „ante cibum“ et „post cibum“ et „ante somnum“ in libro Cathemerinon.<sup>1)</sup> Ergo quae ante somnum dicere monet, aut de privata oratione aut de officio Noctis seu de Vigiliis intelligenda sunt.

Quod quam convenienter asseratur, ex his colliges: In fine Vesperarum, ut infra patebit, illo tempore dicebantur preces pro noctis quiete, et ex S. Nicetio constat, ipsas Vespertinas Horas consideratas fuisse ceu initium Vigiliarum nocturnarum,<sup>2)</sup> post quas non aliud nisi „Noctis medium“ seu „Gallicinium“, Officium Nocturnum sequebatur. Eundem fuisse morem S. Ambrosii ex iis constat, quae sanctus vir ad Irenaeum a. 387 scripsit.<sup>3)</sup> „Inter legendum, cum paululum requievissem animo, qui lucubratione destiteram, versiculum illum coepi mecum volvere, quo *Vesperis in Vigiliis* usi fueramus.“ De officio lucernario seu primis Vigiliis quae statim prima hora noctis persolvebantur, haec verba intelligenda esse patet ex S. Hieron. epist. ad Laetam jam citatâ, et ex eodem Ambrosio.<sup>4)</sup>

Insuper ipse S. Ambrosius in hymno „Deus Creator omnium“ qui manifesto pro Vesperis scriptus ad Lucernaria canebatur, et de quo jam S. Augustinus (Conf. 9, 12) loquitur, petit nocturni soporis quietem, quasi indicans aliud Officium locum non habere ante somnum: „Noctem soporis gratia . . . Artus solutos ut quies reddat, luctusque solvat anxios. Et noctis exortu preces solvimus. Dormire mentem ne sinas . . . fides somni vaporem temperet. Exuta cordis lubrico te cordis alta somnient . . . Ne pavor quietos suscitet.“

3. Inter omnes illos quos supra memoravimus scriptores et Conciliorum Canones duo tantum inveniuntur qui expressam Completorii mentionem faciunt, videlicet Cassiodorius et S. Aurelianus Arelatensis Episcopus. Atqui uterque post S. Benedictum scripsit. Aurelianus enim anno 546 Episcopus electus

---

<sup>1)</sup> P. L. 59, 796—831. cfr. S. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. a. 384 scriptam, ubi cap. 37. P. L. 22, 421 postquam canonicas Horas quinque enumeravit, haec addit: nec cibi sumantur nisi oratione praemissa, nec recedatur a mensa, nisi referatur creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum,volvendo quae de Scriptura memoriter tenamus, egredientes de hospitio armet oratio . . . Quae de Nocte dicit, non de officio Vigiliarum, sed de privata oratione intelligenda sunt, ut docet ad Laetam ep. 107. cap. 9. l. c. 875: Vigilarum dies et solemnes pernoctationes sic . . . ut non . . . a matre discedat.

<sup>2)</sup> De vig. serv. Dei cap. 3. P. L. 68, 387. cf. Reg. S. Columb. l. c.

<sup>3)</sup> epist. 29. P. L. 16, 1054.

<sup>4)</sup> lib. I. de Abraham cap. 9; de Elia et jejun. cap. 15; in Ps. 36 v. 25 et Ps. 118, v. 19. cfr. cit. pag. 1054.

et consecratus, tempore Pontificatus sui Regulas dedit monachis et Virginibus sibi subjectis a. 547 vel 550. Sed ipse orationes illas, quae sub nomine Completorii in ejus Regula veniunt, non jam ceu Horam ecclesiasticam considerasse videtur. Jubet enim eas dici, non ut reliquas in Ecclesia, sed a repausaturis in Dormitorio, „in schola qua manetis,“ et praescribit nonnisi Psalmum nonagesimum cum directaneo et capitellis i. e. precibus consuetudinariis pro pace, fidelibus etc.<sup>1)</sup> Ceterum observandum est, S. Aurelianum, iudicio eruditorum virorum uti Mabillonii, Ceillier, Rivet, regulam S. Benedicti novisse et ex ea nonnulla mutuasse, nisi forte post ejus mortem talia, quae ex Reg. S. B. deprompta fuerunt adjecta sunt.

4. Alter, scilicet Cassiodorius, in explicatione versus Davidici Ps. 119 [quam scripsit post annum 545 vel circiter, dum Regulam S. Benedicti fere a. 529 scriptam esse constet], ad: Septies in die laudem dixi tibi, haec habet: „Si ad litteram hunc numerum velimus advertere, septem illas significat vices, quibus se monachorum pia devotio consolatur, id est, Matutinis, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria, Completoriis, Nocturnis. Hoc et sancti Ambrosii hymnus in Sextae decantatione testatur. Si vero spiritualiter intendas etc.<sup>2)</sup>

Ne perperam Cassiodorii verba interpreteris, ante omnia animadvertite ipsum non dicere, Ecclesiae morem vel ordinem hoc habere ut septies, scil. Matutinis, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria Completoriis et Nocturnis laudes canantur Altissimo, sed hoc esse monachorum devotionis consolationem. Atqui ipse tunc temporis in solitudine Monasterii Vivariensis degebat, non longe a celeberrimo Monte Cassinate siti. Sunt qui dicunt Cassiodorium amicum et quasi discipulum fuisse S. Benedicti; et ejus regulam amplexum esse. Certe cum Italiam sub Theodorico, Athalarico, Theodato et Vitige per multos annos gubernasset, Patriarcham monachorum noverat et ejus disciplinam et psallendi ordinem, jam per triginta fere annos ibi vigentem, ubi ipse Consul et Patricius Romanus bona plurima possidebat et per multos annos vivebat. Iam vero in eo quod ait, S. Ambrosium hoc testari, ad illum hymnum videtur alludere qui incipit: „Bis ternas Horas explicans.“ Sed ex eo nil certi, quod ad Completorium spectet, concludi posse, jam supra vidimus; ergo non amplius his immorandum. Eundem hymnum respicere videntur verba ejusdem auctoris:<sup>3)</sup> „Sancti Ambrosii ille hymnus Sextae, in quo: Orabo mente Dominum“ v. 23, cum reliquis usque: „Vanis praeventus casibus.“

1) Reg. Aurel. P. L. 68, pag. 385 et 406.

2) P. L. 70, 895.

3) in Ps. 101 v. 1. P. L. 70, 707.

5. Sunt qui arbitrantur jam in Collectione quadam canonum Concilii Nicaeni a. 325 inveniri explicitam mentionem Completorii.<sup>1)</sup> Verum hanc compilationem esse foetum fictionemve noni vel decimi saeculi apud eruditos constat.<sup>2)</sup> Lege praeterea quae S. Basilii frater germanus, sanctus Gregorius Nyssenus in vita S. Maerinae sororis [quam S. Basilius docuerat quamque in vita spirituali et in coenobii virginum regimine dirigebat] de officii celebrandi modo in ejus monasterio scribit.<sup>3)</sup> Quae omnino nostrae favent sententiae.

Neque illud praetereundum videtur, quod in authenticis juris pontificii collectionibus, ubi officiorum canonicorum ordo et numerus statuitur, non alia auctoritas ecclesiastica allegatur, a qua officiorum diurnorum et nocturnorum numerus derivetur, nisi ipsa Regula S. Patris nostri Benedicti. Ita in Corpore juris canonici, Gratiani Decreto<sup>4)</sup> et in Decretalibus Gregorii Papae IX;<sup>5)</sup> necnon in collectionibus nominatissimis quae inde ab 8 ad 12. saeculum ab Episcopis ut (Hettone Basil.) Burchardo Wormatiensi,<sup>6)</sup> Ivone Carnotensi<sup>7)</sup> aliis edita sunt. Quasi ipsa S. Ecclesia per pastores suos et summum Pontificem ipsum non dedignetur agnoscere, se a S. Benedicto accepisse ultimam Horam et sic complere numerum officiorum quae nunc a nocturnis ad Completorium usque in templis ad Dei laudem resonant. Ipse autem S. Benedictus exsequi studuit, quae jam Basilius vel alii innuere videbantur, quin illi se junctum a Vesperis novum officium creare voluerint.

Probatum igitur esse arbitramur, inter eas Horas canonicas, quas sancti Patres et ecclesiasticis scriptores quarti et quinti et primae partis sexti saeculi memorant, Completorium non inveniri tamquam Officium proprium ac distinctum. Idem plures quoque emunctae naris viri vel antiquitatum christianarum vel liturgicarum rerum indagatores nobiscum affirmant, veluti Bona (de div. psalmod. cap. I. § 1. nr. 2), Bingham (Orig. sive antiquit. eccles. Halae 1727. V, 304), Granelas (Comm. lib. I. c. 35), Selvaggio (Antiquit Christian lib. II. pars 1. cap. 9. § 17), Binterim (Denkw. IV, 1. pag. 368 seq. et 389 seq.), Krieg (apud Kraus, Realencycl. II, 532), Hergenröther-Kaulen (in Freib. Kirchenlex. 2. ed. s. v. Complet) et Duchesne (Origines du culte chrétien, Paris 1889. pag. 434). Sed haec hactenus.

<sup>1)</sup> cf. Harduin Coll. Conc. I, 506 seq.

<sup>2)</sup> Vide Hefele, Hist. Conc. I, 366. Binterim, Denkw. IV, 1. pag. 368 seq. Pleithner, Aelteste Gesch. pag. 146—147.

<sup>3)</sup> P. Gr. 46, 962—963.

<sup>4)</sup> cap. 2. dist. 91. P. L. 132, 429.

<sup>5)</sup> cap. 1. extra de celebr. Miss. et div. off. III, 41.

<sup>6)</sup> II, 105. P. L. 140, 644.

<sup>7)</sup> VI, 182. P. L. 161, 487.

### Propositio secunda.

Tempore S. Benedicti, saeculis quinto et sexto, in Romana Ecclesia tamquam solemnia Officia celebrabantur Vigiliae, Laudes et Vesperae. Ordo distribuendi psalmos et lectiones per istas Horas nonnihil ab illo differebat, qui nunc exstat in Ecclesia Romana. Pro minoribus autem Horis, quae saepe saepius privatim tantum recitabantur, certa regula, quae ab iis qui Romanum ritum sequerentur, ubivis recepta fuerit, definiri nequit, sed earum ordinatio arbitrio Episcoporum potius vel Metropolitatum relicta fuisse videtur.

Nos quidem non latet, a multis mediæ aevi et recentiorum temporum scriptoribus, etiam a Radulpho Tungrensi Decano<sup>1)</sup> cui magnam auctoritatem jure in aliis tribuunt, affirmari, cursum Romanum seu Psalterium per Horas hebdomadae distributum, ut nunc in Ecclesia viget, auctorem habere sanctum Hieronymum; ipsum vero sanctum Doctorem in his pependisse a S. Ambrosio. Et hoc exinde arguunt, quod in Ambrosiano ritu pro horis diurnis iidem psalmi sumebantur ac in Romano, solummodo pro nocturnis officiis differebat partitio. Nam Ambrosianum intra duas hebdomadas tantum Psalterium absolvit, Psalmis 1—108 per Vigilias feriarum II., III., IV., V., VI. distributis, ita ut ex decem „diguriis“ quas dicunt, suam quaeque Nox diguriam habeat, Sabbato et Dominicae specialibus Canticis vel etiam psalmis attributis.<sup>2)</sup>

Ast primum quidem apud omnes constat, officium seu ritum Ambrosianum iteratis vicibus per aetatum decursum Romano a quo ortum sumpserat magis magisque conformatum fuisse et ex eo multa denuo mutuasse,<sup>3)</sup> ita ut ille, qui inde a nono vel decimo saeculo Mediolani invenitur, ritus neutiquam genuinus S. Ambrosii vel quarti saeculi usus considerandus sit. Liturgiam Mediolanensem quarti et quinti saeculi fere eandem fuisse ac Romanam, collige ex libro de Sacramentis: „In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam. Eccl. Rom. cujus in omnibus typum sequimur et formam.“<sup>4)</sup> Deinde vero illa de S. Hieronymo assertio nemini scrupulum

<sup>1)</sup> De can. observ. Propos. X. in Magna Bibl. Patrum ed. Colon. 1618. tom. XIV. pag. 228—257.

<sup>2)</sup> Radulph. Tungr. l. c. prop. X. Ambrosius Kienle, De off. Ambrosiano in his periodicis „Studien“ a. 1884 pag. 356 seq.

<sup>3)</sup> Mabillon, Mus. ital. I, 2, pag. 100 seq. — Hoeyneck, Geschichte der kirchl. Liturgie des Bisthums Augsburg, 1889. pag. 11 et 17.

<sup>4)</sup> lib. III. c. 5. P. L. 16, 432—433. et Sylvain vie de S. Charles II, 232 et A. Ceriani.

injiciat. Apocryphis enim ex libellis originem traxit. Ac profecto quidem initio medii aevi fabricata est epistola quaedam apocrypha et anachronismis plena, quam impostor dixit a S. Hieronymo ad Damasum Papam scriptam, itemque Responsum S. Pontificis ad Hieronymum. In his litteris S. Damasus ab eximio Doctore, nomine Theodosii imperatoris (!) rogatur, ut Romae „diu noctuque psalmos canere“ seu officia divina certis horis celebrare jubeat. Eadem illa verba postea, fere inter sextum et nonum saeculum, ex falsis istis fictisque litteris in librum Pontificalem irrepererunt, seu librum illum qui exhibet Pontificum Romanorum vitas, chronologico ordine digestas.<sup>1)</sup> Hinc factum est, ut auctores medii aevi, qui de originibus officiorum scripserunt, critices arte, ut notum est, minime pollentes et quasi in verba jurantes Magistri, fere omnes S. Damasum et S. Hieronymum auctores praesentis cursus seu distributionis Psalmorum per hebdomadam fuisse affirmant; proinde inquirere quae sint Gregorii Magni aliorumve de hac re merita, eorumque acta excutere supersederunt. Nos igitur apocryphum illud missum facientes ad historicam veritatem revertamur.

1. *Vigiliae*. Jam occurrit lex Justiniani<sup>2)</sup> anno 528 lata, quae omnibus Clericis per singulas ecclesias Romani imperii constitutis praecipit, „ut per se ipsos nocturnas et matutinas et vespertinas preces canant.“ Accessit eodem Romani Pontificis mandatum, quod exstat in libro Diurno. Sexto enim, septimo et octavo saeculo Episcopi, qui Romae a summo Pontifice consecrabantur, per sic dictam „priscam cautionem“ spondebant se divina Officia Romano more persoluturos.<sup>3)</sup> Illa formula collectioni pontificiae adjecta fuit saeculo septimo, ut probat E. ab Sickel in prolegomenis pag. XVII. seq., sed eam e sexto fortasse e quinto saeculo derivari et ipse et Thiel<sup>4)</sup> admittunt, vide etiam Mabillon, Mus. ital.,<sup>5)</sup> Tommasi<sup>6)</sup> et Pitra.<sup>7)</sup> Atqui in ea promittebant, se in aestate tres Lectiones, tres Antiphonas, tria Responsoria, hieme quatuor Lectiones, Responsoria, Antiphonas, Dominica novem Resp. Lect. Antiphonas dicturos. Ergo iste ordo non erat idem ac praesens ordo Breviarii Romani, et secundum tempus vel prae diuturnitate noctium variabat.

<sup>1)</sup> Plura de his apocryphis epistolis scite et docte tractat eruditissimus vir L. Duchesne in opere: *Le liber pontificalis* Paris 1885 seq. tom. I. in praefatione pag. XXXIV et in notis ad vitam S. Damasi pag. 214 nr. 17.

<sup>2)</sup> Cod. lib. I. tit. 3. lex 42. § 10.

<sup>3)</sup> Cfr. recentissimam editionem criticam per Th. ab Sickel factam ex Codice Vaticano. Vindobonae 1889 pag. 74—78 et apud Migne P. L. 105, 71 (cap. III. tit. 7).

<sup>4)</sup> epist. Rom. Pontif. I. pag. 379—380. Nota 2, 5, 7, 9.

<sup>5)</sup> tom. I. pars 2. pag. 106 seq.

<sup>6)</sup> Opp. ed. Vezzosi IV. praef. pag. XII. n. 3.

<sup>7)</sup> *Analecta noviss.* I. Paris 1885. pag. 103—108.

Pro eadem re multa adhuc arbitrio Episcoporum vel Metropolitanorum relicta fuisse etiam posterioris temporis usus ostendit, ut erui debet ex S. Greg. epist. XII., 24,<sup>1)</sup> ex Regula S. Chrodegangi<sup>2)</sup> qui hyemis tempore majorem numerum psalmorum quam aestate recitare jubet; et ex Amalarii libro de ord. Antiph.<sup>3)</sup> ubi dicit Romae, quando ab aliquam causam aurora adveniret antequam psalmi et lectiones Vigiliarum seu Nocturni (Matutini) dicti essent, abrumpi Matutinum et non perfici, ut canonicus ordo Laudum possit observari. Vide etiam Regulas SS. Benedicti, Caesarii, Aureliani supra citatas.

2. In quibus Vigiliis seu Nocturnis, (Matutinum nunc dicunt istud officium) per hebdomadam ordinariè recitabantur 12 psalmi, Dominica vero 24 Psalmi, sc. inde ab 1 ad 25, dempto quinto (Verba mea) qui Laudibus Ferae II. reservabatur; ita tamen ut longioribus noctibus vel hieme plures, usque 36, dici potuerint.<sup>4)</sup> Ex his Psalmis nunc octodecim tantum: 1, 2, 3 et 6—20 ad Matutinum Dominicae dicuntur; reliqui 21, 22, 23, 24, 25 dicuntur nunc per Hebdomadam in officio feriali Primae; et quartus Ps. in Completorio. Medio aevo isti quinque vel sex Psalmi tam Romae quam alibi Dominico die omnes ad Primam ante Psalmum 118 „Beati immaculati“ recitabantur, uti in Basilica Lateranensi etiam ultimis saeculis fiebat et in Breviariis Fratrum Praedicatorum et Carmelitarum Calceatorum adhuc in Dominicis a Septuagesima et seq. fit.<sup>5)</sup> Hos autem 5 vel 6 psalmos antea in Nocturnis dictos fuisse, expressis verbis dicitur in veteri canonicorum regulâ, ex Codice XII. saeculi transscripta apud Amort, *Vetus discipl. Canon.*<sup>6)</sup> et in *Rational. div. off. Durandi Mimatens.*<sup>7)</sup> Conferas etiam Honorii Augustod. *Gemmam animae*<sup>8)</sup> et veterem *Ord. Rom.* apud Thomas. II. pag. LXII. et III. pag. I.

Porro lectionum ordinem nondum eundem fuisse cum illo qui octavo saeculo usu receptus erat, ex Theodemari vel Pauli Diaconi epistola ad Carolum Magnum scripta discimus apud Angelum de

<sup>1)</sup> P. L. 77, 1234 de lectionibus (commenta psalmorum) in Vigiliis.

<sup>2)</sup> Cap. 15. P. L. 89, 1066 et 1101.

<sup>3)</sup> Cap. 4. P. L. 105, 1252.

<sup>4)</sup> Reg. S. Columbani c. 7. P. L. 80, 212—213 „Canonicus modus et seniorum traditio“ in prima noctis parte 12 et in secunda 12. Concil. Taron. II. can. 18. apud Harduin Coll. Conc. III, 361. S. Chrodegang l. c. 1068. Acta SS. Hiberniae, Brugis 1887, pag. 130—134 seq.

<sup>5)</sup> cfr. Grancolas, *Com. hist. in Rom. Brev. I. c. 35, pag. 107.* — *Breviarium Dominicanorum* ed. Tornacens. 1878. pag. 12—14; *Brev. Carmelitarum* jussu Aloysii Laghi Vic. Gen. edit. Antverpae 1755 in parte hiem. et verna, rubr. pro Dom. Sept. et Palmarum.

<sup>6)</sup> *Venetis 1747. tom. II. pag. 1048.*

<sup>7)</sup> lib. V. c. 5. nr. 6.

<sup>8)</sup> II, 58. P. L. 172, 634.

Nuce,<sup>1)</sup> Mabillon annal. II. 263.<sup>2)</sup> Lege, si lubet, quae hac de causa anno 1886 in periodico „Katholik“ II., 622. scripsimus.

Post singulos Psalmos aliqua oratio vel Collecta dicebatur, ut apud Cassianum II., 7 et 10 l. c. et in Antiphonario Benchorensi<sup>3)</sup> ex Muratorii Antiq. l. c. et in Psalterio apud Thomasium Opp. II. et III. videre licet. Jungebantur Psalmis lectiones de veteri et novo Testamento et de actis seu gestis Sanctorum. Neque enim locus laudatus Theodomari ita intelligendus est, quasi lectiones de Scriptura omnino locum non habuissent, ut apparet ex Cassiano aliisque.<sup>4)</sup> Pluribus in locis Dominico die Evangelium canebatur, vel etiam relatio Resurrectionis Domini cui iste dies sacer est, ut habes apud Caesarium in utraque regula et apud Silviam Peregr. ed. Gamurrini l. c. cfr. etiam Thomassinum, vet. et nov. Eccl. disc. pars. I. lib. II. c. 78—86.

3. *Laudes* in universo fere orbe terrarum quasi pariter et uniformi atque concordi voce canebantur. Et quidem antequam Primae Officium receptum fuit, primo loco tres psalmi: 50, 62, 89 recitabantur.<sup>5)</sup> Postea vero i. e. fine saeculi quarti in Oriente, alibi saeculo quinto vel posterius, quando hi tres Psalmi etiam in Italia ut ex Cassiano l. c. et actis Sanct. Hiberniae l. c. apparet, ad novellam solemnitatem dici coeperunt, quotidie duo alii psalmi cum 50 praedictis substituti sunt, nempe illi quos S. Benedictus in cap. XIII. Regulae suae ex „Consuetudine“ canere jussit. Ita juxta Hildemarum<sup>6)</sup> et ex Grancolas l. 34. Sed et Ps. 118. in Laudibus dictum fuisse, ut juxta Bickell l. c. et Sarnicki adhuc in Oriente fit, ex Cassiano II., 7 intelligitur.

Deinde unum vel, certis diebus, praesertim Dominico, duplex Canticum (Romae semper unum tantum ex Reg. S. P. Bened. c. XIII.) sequebatur; postea resonabant tres Psalmi Laudate, Cantate, Laudate 148, 149, 150. Ita secundum Arnobium juniorem<sup>7)</sup> et S. Nicetium, de bona psalmodiae,<sup>8)</sup> Athanas. de Virg.,<sup>9)</sup> Silviae peregrination. pag. 79, 81—84. Antiphonar. Benchor. apud Muratori et Migne l. c. S. Caesar. et S. Aureliani reg. ad mon. et virg. l. c.

1) Chron. Cass. Paris 1668. pag. 129.

2) Et Migne P. L. 95, 1584.

3) P. L. 72, 597 seq.

4) lib. II, 4 et 6. Thomas. IV, pag. XII, nota 2 et 3; ibid. pag. 323. Liber diurn. l. c. Thiel, Epist. Rom. Pontiff. I, 458 et 459. Caesarii Reg. ad Virg. c. 12. et praecipue ex Vita S. Melaniae in Anal. Boll. 1889. tom. VIII. pag. 58 et 23.

5) Cassian. III, 4 et 6. Martène, de ant. Eccl. rit. IV. c. 8. nr. 1., et de monach. rit. I, 4.

6) in Comment. ad cap. XIII. S. Regulae. Ratisbonae 1880, pag. 294.

7) Comment. in Ps. 148. P. L. 53, 566. c.

8) c. 3. P. L. 68, 273.

9) c. 20. P. Gr. 28, 275.

S. Gregor. Turon. in vita S. Galli Episc. c. 6. P. L. 71, 1034, No. 7.

Sequebantur Capitella seu Preces et Benedictio seu Oratio, ut a. 1886. in his periodicis demonstravimus in diatribe de „Litania et Missa“ juxta Reg. S. P. Benedicti. Sed antea jam in pluribus locis canebatur Hymnus quidam metricus vel etiam Te Deum seu Gloria in excelsis et Magnificat, vel etiam Pericopa Evangelii. Concil. Agathense 506. can 30. Harduin II., 1001. Cotelier, not. ad lib. II. Const. Ap. c. 59. Martene de eccles. et de mon. rit. l. c. Bickell, Katholik 1874. I. pag. 86, praeterea SS. Caesarii et Aureliani ord. psallendi in fine Regular. l. c. Silviae pergr. l. c. p. 76, 77, 80, 81: de cons. cotidiana et Matutinis hymnis.

4. *Vesperarum officium* seu Hora incensi, Laudes Vespertinae — Lucernarium (λυχνιόν), sacrificium vespertinum, vespertina synaxis, gratiarum actio vespertina, ἐπιλύχνιοξ εὐχαριστία, prima Vigilia noctis, omnium solemnissimum officium noctis initio celebrabatur accensis lucernis. Duodecim habebat psalmos, qui incipiebant ab allelujaticis, hoc est centesimo tertio, quarto seu centesimo nono, et sequentibus psalmis. Semper inter ipsos cantandus erat Psalmus 140, in quo ille versus: „Dirigatur oratio mea sicut incensum . . . sacrificium vespertinum.“ Hoc jam praecipiebant Apostolicae Constitutiones lib. VIII. c. 34, quas quidem Romae vigorem legis habuisse tertio et quarto saeculo, ex S. Hippolyti canonibus supra citatis apparet. Idem per quartum, quintum et sextum saeculum observatum fuisse collige ex Eusebio,<sup>1)</sup> ex S. Chrysostomo<sup>2)</sup> ex Cassiano, Inst. III. 3, S. Caesario et Aureliano l. c. — De Psalmo 103 ait S. Caesarius in Sermone non jam edito. (Mscr. Cod. bibliothecae nat. Parisiens) de eo. „Sol cognovit oceanum suum“: Iste psalmus dicitur cotidie ad 12mam horam in monasteriis ita ut eum maxima pars generis humani memoriter teneat. (S. Columbani Reg. c. 7, l. c. et ex Conc. Turon. II. canone citato.) — Ad Psalmum 140 thymiama vel incensum oblatum fuisse in altari, ut nono saeculo ad versum „Dirigatur“ Amalarius de eccl. off. IV. 7 docet, pro 4 et 5 saeculo jam ex Sylvia l. c. conjici licet.

Post duodecim psalmos duae legebantur lectiones, quarum altera ex Evangelio sumebatur, ut invenitur apud Cassianum l. c. II., 6 sed et apud S. Augustinum,<sup>3)</sup> luce clarius expositum. Certe S. Augustinum in Africa ritu Romano adhaesisse probant Probst (Katholik 1883) et Duchesne (Origines du culte Chrétien,

<sup>1)</sup> in Ps. 61 (62) P. Gr. 23.

<sup>2)</sup> in Ps. 140. P. Gr. 55, 426—428.

<sup>3)</sup> Confess. V, 9. nr. 17 et VI, 3. nr. 4. P. L. 32, 714 et 731; item Epist. I, 39. P. L. 33, 119, nr. 11.

Paris 1889, pag. 287 et 290).<sup>1)</sup> Sed et S. Ambrosium possumus in medium proferre in epist. I., 20 et de excessu fratris Satyri talia scribentem qualia ad rem nostram faciunt.<sup>2)</sup> Namque illo tempore antiquus ordo Romanus a Mediolanensi parum differebat, ut clarissimus vir D. A. Ceriani, Ambrosianae bibl. praefectus, jam laudatus, probe demonstravit.

Sequebatur hymnus, ut ex Constit. Apostolicis<sup>3)</sup> et ex S. Basilio,<sup>4)</sup> porro ex Caesarii et Aureliani regulis et ex can. 30. Concilii Agathensis a. 506, nec non fortasse ex vita S. Gelasii apud Gennad. de script. eccl. c. 94 et (Duchesne lib. Potif. I., 253) ex S. Coelestini serm.,<sup>5)</sup> denique pro certo ex Fausti Rhegiens. epist.<sup>6)</sup> apparere debet. Preces et Capitella cum benedictione Episcopi et Cantico: „Nunc dimittis“ clauderant istam synaxim.<sup>7)</sup> Pertinet huc venustissimus ille Prudentii hymnus ad „accensum lucernae“ scriptus, cujus initium: Inventor rutili dux bone luminis, de quo bene tractat Rösler, Der kathol. Dichter Prudentius, Friburgi 1886, pag. 74 seq.

5. *Primae, Tertiae, Sextae, Nonae*, Officia non jam ad certum, definitum, constantemque ordinem redacta erant. Neque stricta obligatio aderat eas omnibus omnino diebus solemniter et publice in Ecclesia celebrandi, sed pro certis tantum diebus, ut jam pro praecedenti periodo de „Stationum“ diebus indicavimus. Unde per episcopos hujus temporis non paucos multa de minoribus Horis ordinata fuisse reperies, teste Mabillonio nostro in disquisitione de cursu Gallicano.<sup>8)</sup> Pro Dominica tantum magis explicitae ordinata fuit Prima a S. Caesario et S. Aureliano (cf. eorum Regulas l. c.) et ab aliis juxta Cassianum III., 2—3 et 4—6.<sup>9)</sup>

Plurimis in locis terni Psalmi ad unamquamque Horam dicebantur, nec tamen omni die, saepius enim omittebantur, et tunc privatim tantum his temporibus recitabantur quaedam preces, ut hodieum fit in Oriente.<sup>10)</sup> In quibusdam locis tres psalmi pro

<sup>1)</sup> cfr. S. Aurelian. ord. psallendi P. L. 68, 393. Mabillon Mus. ital. I, 2. pag. 106.

<sup>2)</sup> P. L. 16, 997, nr. 13 et 1309, nr. 61.

<sup>3)</sup> VII, 48 et VIII, 36—37. P. Gr. I., 1058 et 1138.

<sup>4)</sup> de Spir. sancto cap. 29, nr. 73. P. Gr. 32, 205—206.

<sup>5)</sup> in Conc. Rom. P. L. 50, 457.

<sup>6)</sup> ad Gratianum P. L. 58, 854.

<sup>7)</sup> de quo vide Constit. Ap. l. c. Bickell. l. c. 310 et 315. Concil. Vasense II. can. 3—5; Martène de antiq. Eccl. rit. IV, c. 8, nr. 7—8.

<sup>8)</sup> P. L. III. pag. 409, seu P. L. 72, 382 seq. et 399.

<sup>9)</sup> Martène, ant. Eccl. rit. IV, 8 nr. 1 et mon. rit. I, 4. Concil. Turon. II, can. 18. Thomassin vel et nov. Eccl. disc. Pars I. lib. II. c. 75, nr. 5; et 78 nr. 6. Radulfus Tungrens. de can. observ. prop. 14. Gregor. Turon. l. c.

<sup>10)</sup> cf. Bickell, „Katholik“ 1873 II et 1874 I. et Conspectus rei litterariae Syrorum Monasterii 1871. et Handweiser 1870 nr. 92, pag. 235. vide et Cassianum Inst. coenob. III, 11. P. L. 49, 149 et Doctrinam Apostol. ed. Funk l. c. cap. VIII.

Tertia, sex pro Sexta, novem pro Nona, in aliis alii assignabantur, ut refert Mabillonius l. c. In aliqua regula, quae vim legis habuisse videtur etiam in Italia superiore per 6 et 7 saeculum, non certi vel sui cuique Horae psalmi eligebantur, sed „currente psalterio“ illi tres dicebantur vel continuabantur, qui immediate sequebantur Psalmos in officio Nocturni vel in praecedenti Hora dictos.<sup>1)</sup>

### Propositio tertia.

Cum Sanctissimus monachorum legifer et Patriarcha Benedictus opus Dei seu officium divinum vel publicam et communem Dei laudem tamquam principale opus et palmare monachorum munus habeat, cui quidem nihil omnino praeponendum sit, sollicitè in regula sua hanc provinciam sic stabilivit et ordinavit, quatenus rationibus vitae monasticae magis conveniret. Propterea Romanum quidem cursum pro fundamento posuit, in eo tamen quaedam mutavit: in his praesertim Vigiliarum Dominicarum ordinem, ac Vesperarum officium aliter disposuit, Completorium adiecit, Horarum minorum indolem ex integro praebuit, denique respectu habito laboris seu necessitatum vitae communis discrete aliis providit.

Receptum fuit isto tempore, monachos rite ac licite alios sequi ordines in divina cantanda laude ac metropolitana seu Cathedralis Ecclesia mater, intra cujus provinciam vel dioecesim viverent. Nam cum plurimae synodi provinciales statuissent (Milevitanum 416, can. 12, Concilium Veneticum 465, can. 10 et 13,<sup>2)</sup> Agathense 306, can. 30 Gerundense 517, can. 1, Epaonense 517, can. 27) ut intra unamquamque provinciam prorsus idem ubique ordo psallendi et sacri faciendi observaretur, tamen Concilium Bracarense II.<sup>3)</sup> agnoscit monachos ab hac lege solutos esse, dicens: „Neque monasticae consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtae.“ Quam ob rem S. Benedictus, quippe qui intra Romanam provinciam degebat, Romae urbis cursum adoptans eum tamen aliquomodo temperare jure potuit, praesertim orientalium monachorum et S. Basilii vestigia premens, ut in Cap. 73 ipse fatetur, quo aptior fieret rationi et indoli suae institutionis. Quinque autem considerata videntur principia seu rationes fundamentales

<sup>1)</sup> Ita apud Migne P. L. 87, pag. 1099 et tom. 88, pag. 1004.

<sup>2)</sup> Harduin I, 208. Labbe Conc. IV, 1557 et 1579. Harduin II, 1043—1045.

<sup>3)</sup> a. 553. Can. 1. (Labbe V, 840).

et ut ita dicam directrices, quibus ductus s. Legislator noster opus Dei ordinare aggressus est.

1. Ante omnia semel saltem per Hebdomadam recitandum est totum Psalterium cum consuetis tunc temporis canticis. S. Reg. cap. 18.

2. Sacratum duodenarium numerum Psalmorum in nocturnali seu Vigiliarum officio et in diurno quatuor minorum Horarum penso, tamquam aequam discretamque mensuram transscendere noluit. S. Reg. c. 10 et 11. Laudibus interdum ac Vesperis speciali modo extra hunc numerum consideratis et ordinatis, utpote ecclesiastica traditione sacrandis, peculiari modo providit.<sup>1)</sup>

3. Omnimodis id attendi voluit, ut pro labore vel domi vel in agris perficiendo necnon pro „lectione divina“ tempus aptum obtineatur. Ideo per aestatem, quando tempus summi mane in Italia meridionali fere solum ad labores agrorum idoneum videtur, et brevissimae sunt noctes, Officium nocturnum exceptis Dominica et festis breviantur videbatur, ut tempus matutinum operi applicetur. Ratione etiam laboris diurni per totum annum in Horis minoribus parvos Psalmos elegit. Id quod agnoscit Gracolas inquit: „Veteres monachi labori adeo dediti erant, ut Officium ipsum habita laboris ratione distribueretur.“<sup>2)</sup>

4. In omnibus discretio, mater illa virtutum, sceptrum gerat (S. Reg. cap. 64 et 20). Ac propterea fatigatos ex labore monachos Vespere longum Officium ante coenam canere non oportet, praesertim cum ea quae apud sanctos Patres de duodenario psalmorum diei numero inveniuntur, per psalmos ternos in quatuor minoribus Horis canendos impleri possint. Neve nimis sero coeant monachi, quia non expedit nec corporibus nec animabus propter illusiones nocturnas. Hinc illa divisio Lucernarii seu Vesperarum in duo officia, quorum prima deinceps ante solis occasum et sine lumine lucernae absolvendum tamquam solemnem gratiarum actio et laus obsequiosa, alterum, id est Completorium preces pro quiete pacata continens, post Coenam celebretur.

5. Unumquodque officium tamquam unum et integrum omni ex parte sibi cohaerens corpus, membrorum varietate pulchrum, per novam bene et non sine arte dispositam precum, lectionum, psalmorum, hymnorum seriem, speciosam quandam et venustam exhibeat formam. S. Reg. cap. 17, 18 et 47. Ratione vero habita vitae regularis, cavendum est, ne officiis minus aequaliter distributis ordo agen-

<sup>1)</sup> Duodenarium Psalmorum numerum pro die ac pro nocte ex Angeli revelatione Patribus praescriptum fuisse testantur Palladius in Hist. Lausiaca c. 38. P. L. 73, 1138 et P. Gr. 34, 1100, Cassianus de inst. coenob. II, 2, 5, 6. P. L. 49, 78, 86—89. et Vita S. Pachomii Dionys. Exiguo interpret. c. 22. P. L. 73, 243.

<sup>2)</sup> Comment. in Rom. Brev. I. c. 36, pag. 112.

dorum in communi vita turbetur. Propterea Nocturnorum officia, quae, si verbi gratia Sabbato totidem Psalmi integri et Canticum Deuteronomii ut reliquis diebus numerentur, nunc duplum nunc dimidium tantum consueti temporis spatium requirerent, divisione facta psalmorem et Cantici Sabbatini, ad ordinariam fere normam mensuramque reducentur. Item de reliquis Feriis ubi in Matutinis vel Vesperis Psalmi dividuntur, aut fer. II. Ps. 115 et 116 in unum junguntur.

His praemissis jam ad ipsum ordinem officii a S. Benedicto statutum deveniamus.

a) Omnia Officia sanctus Pater auspiciari voluit a versu antiquis monachis (ut ex Cassiani Collat. X. c. 10 patet) familiarissimo: „Deus in adiutorium meum intende“ cum reliquis; quo ad inchoandum opus divina gratia impleretur. Quo facto statim quasi fidem suam contra errorem Semipelagianorum tunc temporis grassantem protestaturus suis etiam monachis omnis operis boni inchoandi legem et rationem demonstrare intendit.<sup>1)</sup> Cui versui in Nocturnis addebat alterum scil. Domine labia mea aperies.

Psalmum tertium „Domine quid multiplicati,“ quasi extra pensum consuetum numeratum, officio praeposuit, non modo ut tarde venientes interim adesse possint, sed etiam ut pro noctis requie et divina tutela gratiae agantur, et ante Officium daemonum et carnis tentationes, quae oraturos impedire et molestare solent, abigantur: „Multi insurgunt adversum me — ego dormivi — et exsurrexi quia Dominus suscepit me.“ Aliam rationem indicat Amalarius (in Supplemento ad lib. IV. de off. apud Mabill. vet. Analecta): quia evigilatio nostra resurrectionem a morte animo reducit, et ut Christi resurrectionem recordemur. — Psalmum autem nonagesimum quartum cum Invitatorio tamquam solemnem hortationem ex iisdem rationibus, solemniter protrahendo et morose dicendum instituit. S. Reg. cap. 43 et 9.<sup>2)</sup> Unde S. Benedictus morem cantandi Invitatorium cum Psalmo 94 sumpserit, anceps est; forte ex Romano ordine, forte ex antiquorum monachorum consuetudinibus. Veruntamen ea quae Grancolas I., 27 aliique de S. Porphyrio Gazaeo referunt, ad rem non faciunt. Forte huc pertinent quae in aliquo sermone 5 saeculi [inter Athanasianos]<sup>3)</sup> de Aegypto referuntur, et quae de officio Koptico, per versum „Venite adoremus“ inchoando, de quo plura videas si lubet in iisque de Invitatorio scripsimus in Freiburger Kirchenlexicon.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> S. Reg. Prol. et cap. 9 et 17 et 18.

<sup>2)</sup> Vide de his Grancolas Comment. I, 26 et Pleithner pag. 308.

<sup>3)</sup> P. Gr. 28, 936.

<sup>4)</sup> 2. ed. VI. 865; et Heuser ibid. II. de Brev. Kopt. cf. etiam Moroni Dizion. LXXXII. 316.

Cum per sanctum Ambrosium aliosque divino spiritu repletos pastores et fideles,<sup>1)</sup> dein per Prudentium, Sedulium, alios, multi in honorem Dei et Sanctorum hymni compositi fuissent et in Ecclesiis ad aedificationem multorum „per totam fere Italiam“<sup>2)</sup> resonarent, sanctus quoque Patriarcha suorum et populi christiani spirituali profectui providens ad unamquamque horam hymnum cantari fecit. Pro Laudibus et Vesperis jam Concilium Agathense celebratum a. 506 hymnum in fine officii cantari praecepit, cui obsecutus est legifer noster; reliquis noctis et diei horis excepto Completorio hymnum praeposuit. Completorium vero a lectione longiori exordiri volens, et ipsum tamquam complementum Vesperarum ab antiquo Lucernarii officio separatum initio noctis celebrari jubens, in eo aliquatenus ritum istius Lucernarii (hymnum et benedictionem in fine) conservavit.

b) Officium *Vigiliarum* seu *Nocturnorum*, Matutini hodierni, de novo ordinavit; tribus nocturnis illud distinguens vel duobus in feriali officio, hymnum *Te deum* et lectionem Evangelii illi assignans. Novumque condidit ordinem seu systema lectionum, nempe primo Nocturno ex veteri Testamento, secundo ex Tractatibus seu sermonibus Patrum, tertio ex novo Testamento (Actibus vel Epistolis Apostol. seu Apocalypsi) legere jubens, ita tamen ut etiam in tertio Nocturno si longum temporis spatium requiret, praeter lectiones e Novo Testamento recitatas Homilia quaedam seu Expositio, tam de Evangelio quam de Epistolis Apostolorum addi possit.<sup>3)</sup> Porro quatuor, loco trium, lectionum numerus jam reperitur in Libro diurno Romanorum Pontificum supra citato, ed. E. ab Sickel pag. 74 seq. Ut duodenarium Psalmorum numerum pro Vigiliis servaret, illis diebus quibus protrahere illud volebat i. e. Dominicis et Festis, non alios psalmos, sed potius Cantica et lectiones adjecit. Cap. 11 et 14 S. Reg. Hymnum *Te decet laus* in fine cum Benedictione seu Collecta ex antiquo Vesperarum seu Lucernarii officio mutuavit, quod, ut vidimus, pro Nocturno seu prima Vigilia habebatur.<sup>4)</sup>

c) *Laudum officium* S. Pater noster propemodum intactum reliquit, nisi quod initio Psalmum 66. (Deus misereatur) recitari jussit propter sero venientium excusationes hyeme, vel exeuntium

<sup>1)</sup> S. Gelasius I. Papa [cfr. Lib. Pontif. ed. Duchesne I, 255] fecit hymnos (eccles.) in modum S. Ambrosii; item Gennad. de script. eccl. c. 94. P. L. 58, 1116.

<sup>2)</sup> Faust. Reg. ep. ad Grat. P. L. 58, 854.

<sup>3)</sup> Ita juxta epist. Pauli Diacon. ad Carolum Magnum P. L. 95, 1584. Duchesne, Originies du custe chrét. Paris 1889, pag. 437. Jaffé, Monumenta Carolina, pag. 360. Hildemar, Comm. in S. Reg. cap. 9 et 11. Ratisbonae 1880 pag. 281 et 290.

<sup>4)</sup> cf. Const. Apost. VII, 48. P. Gr. I, 1058 et Graecorum officia apud Pitra Jur. eccl. Graec. tom. I. et Analecta sacra I, pag. LXXII. seq.

necessitudinem per aetatem.<sup>1)</sup> Nam cum dicat cap. 13. se secundum „consuetudinem“ et „ut psallit Ecclesia Romana“ fieri velle, Commentatores spectatissimi ut Hildemarum l. c. affirmant ordinem duorum Psalmorum, quos ibi S. Pater praescribit, fuisse jam in sua provincia i. e. Romana tunc temporis observatum. Ex Concilii Agathensis 506 can. 30—36 discimus, etiam hymnos metricos jam loco eorum quos Graeci et Gallicani vel etiam Romani (scil. Gloria in excelsis et Te Deum) cecinerant, hic locum habere. Nil ergo novi de hoc S. Benedictus statuit. Eum tamen lectionem brevem seu „Capitulum“ cum Responsorio et Canticum „Benedictus“ de suo adjecisse S. Reg. cap. 13, cum antea nullibi nec apud Graecos appareant, communis est opinio plurimorum.<sup>2)</sup>

d) Tertio officio, quod ab aliis „alteram Matutinam“ vel „novellam solemnitatem“ vel „Secundam“ appellatam vidimus, S. Benedictus nomen *Primae* dedit, S. Reg. t. 16, et 18 et novum ordinem impertivit. Psalmum 118 (Beati immaculati), qui tunc in Laudibus dicebatur (Cassian. II, 7. Bickell l. c. et Martène I, 3, nr. 9), Octonariis juxta Aegyptiorum consuetudinem in ipso alphabetico ordine fundatam (Cassian. II, 11) ipse dividens partim huic partim reliquis diei Horis tribuit. Si a secunda Feria ad Primam per hebdomadam Psalmos 1—19 recitare jussit, in his Graecorum ordinem secutus fuisse videtur, qui Psalterium per hebdomadam complendum psalmo 1. incipiebant [ut habet R. P. Sarnicki O. S. Basil.<sup>3)</sup> Feria II. hora matutina. Antea ad hanc Horam Psalmi 50, 62 et 89 recitabantur in Gallia et per Italiam, ut habes apud Cassianum III, 4 et 6. Martène, ant. mon. rit. I, 4. et Acta SS. Hibern.<sup>4)</sup> — Officium Capituli cum lectione Martyrologii et precibus pro labore fortasse jam ad S. Benedictum reduci posse R. D. Beda Plaine pag. 242 hujus tomi jam erudite monstravit, quod ex Herrgott vetus discipl. monast. Paris 1726. pag. 6 et ex Chrodegangi sancti regula ibid. citata fuleiri forte poterit.<sup>5)</sup>

e) Horarum *Tertiae, Sextae, Nonae* ordinem a S. Benedicto proprio Marte redactum esse, quod inter recentiores partim R. P. Beda Plaine<sup>6)</sup> et Pleithner<sup>7)</sup> admittunt, ex tenore verborum s. Legislatoris in capp. 17 et 18 S. Regulae concludendum videtur, eorumque oratio et artificiosa quaedam compositio merito ei

<sup>1)</sup> cf. S. Reg. cap. 8 et 12.

<sup>2)</sup> uti Grancolas Comm. in Rom. Brev. I, 33, pag. 104. Martène, de antiquis mon. rit. I, 4. Binterim l. c. Bickell „Katholik“ 1873. II. 676 seq. et 1874, I. 82.

<sup>3)</sup> apud Hergenröther et Kaulen, Freib. Kirchenlex. II, 1278 et 1278.

<sup>4)</sup> in Vita S. Brendani. Brugis 1887, pag. 133 seq.

<sup>5)</sup> cf. P. L. 89, 1078. Martène, de ant. mon. rit. I, 4 seq. Hefele, Hist. tom. IV, 22.

<sup>6)</sup> pag. 235 et 242 hujus tomi.

<sup>7)</sup> l. c. pag. 312, nota 4 et 5.

tribuitur. Nam ante ipsum hoc tantum sive in Regulis monasticis sive canonibus ecclesiasticis inveniri poterit, tres psalmos (in Gallia tamen plures) his Horis recitados fuisse aliquibus diebus, et aliquibus in locis.<sup>1)</sup> Quibus ille versum Deus in adjutorium et hymnum praemisit, lectionem brevem cum versu et precibus annexit; Psalmis autem pro quavis Hora aptissimis selectis (partim ex 118, partim ex gradualibus 119—127).

f) Si ea, quae supra de discreta dispositione monuimus, jam pro omnibus Horis valent, praesertim tamen pro *Vesperis* aliquomodo mutandis vel abbreviandis militare videbantur. Ac profecto quidem, si tempore S. Patris Benedicti, hoc est initio saeculi sexti, *Vesperarum* Dominicalium ac ferialium opus et pensum idem fuisset ac illud quod nunc in Breviario Romano exstat, scilicet quinque Psalmi non valde longi, cum brevissima lectione, hymno et Canticum Magnificat, rationem nullam inveniri posse arbitror, cur S. Legislator hunc ordinem variaverit. Quidnam, quaeso, potuit sapientissimum Patrem, traditionibus Majorum fidelissime inhaerentem, quousque ardens necessitas non ab iis discedere juberet, — quid eum inducere potuit, ut uno Psalmo dempto, Responsorium breve adjecerit? Nam quod quidam dicunt, mysticum hujus rei quaerendam esse rationem, in numero quaternario positam, non est nisi palliata ignorantia causae cujusdam sufficientis. Si vero Lucernarii seu *Vesperarum* officium vere longum, Psalmis duodecim, cum lectionibus et aliis precibus vel canticis constabat [ut supra probatum esse censemus],<sup>2)</sup> et post solis occasum lucernis accensis celebrandum, tunc facile intelligitur Sanctum moderatorem providisse, ut monachi pondere diei et aestu fatigati sero ante refectionem coenae non per nimietatem operis divini „terreantur et effugiantur.“ Sed addere licet quod Amalarius<sup>3)</sup> de Sancto monachorum Patre dicit: „quia tantae auctoritatis Doctor, Spiritu sancto disponente eadem ordinando et populi conventibus consuluisse videtur.“

Voluit ergo, ut *Vesperarum* officium ante finem diei celebraretur, et psalmodiarum numerus, quem in parvis Horis auxerat, ad quaternarium reduceretur. De psalmo vespertinali quotidiano seu directaneo 140, unus remanebat versus (Dirigatur Domine oratio mea. Sicut incensum in conspectu tuo). Loco duarum lectionum vel unius longioris posuit unam brevissimam, cui subjunxit Responsorium breve. Hymnum addidit, uti ad Laudes in Italia pro *Vesperis* jam receptum fuisse ex Concil. Agathensi et Fausto Rheg. didicimus. Utrum ipse S. Pater Canticum Magnificat

1) Cassian. III, 4. Palladius Hist. Laus. l. c. et supra citati auctores.

2) cf. et Acta SS. Hiberniae l. c. pag. 133.

3) Supplem. ad libr. IV, c. 48 de off. div. Mabill. vel Anal. l. c.

Vesperis junxit, ut volunt Martène,<sup>1)</sup> Granelas I, 38 et II, 3. Pleithner pag. 313, an Canticum Nunc dimittis, quod jam antiquitus hac Hora dicebatur, ibi reliquit, ex textu S. Regulae non satis apparet; dicit enim generaliter tantum „Canticum de Evangelio.“ Cap. 17. Honorius Augustodunensis putat eum hoc Canticum Magnificat ex Ambrosiano ritu deprompsisse.<sup>2)</sup> Sed vereor, ne ille Ambrosianum ritum sui aevi (12mo saeculi) pro genuino foetu S. Ambrosii et liturgia quarti saeculi habuerit. Sin mavis, S. Benedictum servasse in Vesperis Canticum Nunc dimittis ex Apost. Constit. ibi canendum, oportet te cum Binterim<sup>3)</sup> concludere, per Sanctum Gregorium Papatam tandem Canticum Magnificat Vesperis unitum fuisse. — Pristinam benedictionem in fine Vesperarum dandam S. Pater ad Completam remisit.

Ad servandam caritatem fraternam jussit inclytus Patriarcha Orationem Dominicam in Vesperis et in Laudibus clara voce omnibus audientibus a Superiore recitari vel cani, „propter scandalorum spinas,“ ut conventi per ipsius Orationis sponsonem, qua dicunt: „Dimitte nobis sicut et nos dimittimus,“ purgent se ab hujusmodi vitio. S. Reg. cap. 13.

g) Quod sanctus Benedictus *Officium Completorii*, quasi monachorum seu Ecclesiae votis obsecundans, tamquam aliquid novum instituerit, atque comprehenderit, forte jam ex tenore verborum capitis 16 et 17 et 18 S. Regulae colligi poterit. — In Cap. 42 statuit hoc officium a lectione longiori (lectis quatuor aut quinque foliis) inchoandum esse. Tres psalmos recitare jubet, qui de noctis requie vel protectione divina vel obligatione per noctem cor et manus ad Deum erigendi aliquid continent; quorum quidem unus jam a S. Basilio in fine Vesperarum respectu noctis incipientis positus fuerat.<sup>4)</sup> Ultimam officii partem, nempe hymnum, lectionem, versum, Kyrie eleison, preces pro pacata noctis quiete et benedictionem, et „missas,“ hoc loco posuit uti olim in fine Vesperarum, cujus locum nunc partim Completorium tenet, posita et ordinata fuerant.<sup>5)</sup> Nullibi certe ante annum 530 talem ordinem ultimae Horae seu alicujus Officii post Vesperas ante Vigilias nocturnas dicendi invenies; proinde merito „aequus arbiter“ potest esse ille, „qui facit“ S. Benedictum institutorem Completorii, cum tantae auctoritatis viris, quantos supra pag. 376 seq. allegavimus. Nam illi ut nos S. Patriarcham institutorem putant esse hujus Horae, quidquid dicatur pag. 241 et 242 notae 5. hujus tomi.

<sup>1)</sup> mon. rit. lib. II. c. 10. nr. 26.

<sup>2)</sup> Gemma animae lib. II. c. 66. P. L. 172, 640.

<sup>3)</sup> Denkw. IV, 1. pag. 386.

<sup>4)</sup> Ps. 90. S. Basil. Reg. fus. interr. 37. P. Gr. 31, 1015.

<sup>5)</sup> vide S. Regul. Cap. 17 in fine.

### Propositio quarta.

Sanctus Gregorius Magnus a pluribus habetur moderator et reformator „cursus“ seu ordinis in officiis singularum Horarum celebrandis servandi. Itaque si quae in officiorum ordine inde a septimo fere ad nonum usque saeculum servato nova et antiquo ordini sexti saeculi superaddita invenimus, jure haec S. Gregorio tribuimus. Jamvero S. Gregorius, per multos annos sub Regula S. Benedicti militavit. Si ergo eorum, quae saeculo octavo et nono in officio inveniuntur, prima lineamenta in Regulâ benedictinâ posita apparent, illa merito per S. Gregorium a monachorum Regula deprompta fuisse declaramus.

Porro cum constet, per plura saecula inde ab anno 580 in Basilicis Urbis monachos Ordinis S. Benedicti opus Dei celebrasse, et ad hunc finem juxta praecipuas Basilicas plura monasteria erecta fuisse, ab illis aliqua in ordinem Romanum ex Regulae benedictinae usibus introducta nullus infitiabitur. Si igitur quaedam in illo quae monasticae originis videntur, S. Gregorio propter aliquam causam attribui nequeunt, ad istos Monachos in Urbe degentes reducas.

1. Etsi uterque incomparabilis viri et magni Pontificis vitae scriptor, Paulus quippe Joannesque diaconi, parum vel fere nihil de Ordine per ipsum in Psalmodia concinnata refert,<sup>1)</sup> tamen apud plures ejusdem aevi viros expressam hujus rei mentionem invenimus. Primum quidem apud Amalarium, qui in Supplemento<sup>2)</sup> S. Gregorium dicit „clericalis Officii maximum institutorem.“ Praeterea eodem loco<sup>3)</sup> Amalarius ait: „tempore S. Benedicti, quamvis a Romanis Pontificibus *quaedam jam constituta forent*, nondum tamen totus ordo psallentium (seu psallendi) in *Psalterio et Antiphonario* ad liquidum in ordinem redactus fuit; quod postea *Gregorius Papa excellentissimus*, sanctaeque memoriae ejusdem sancti Benedicti strenuus regularis observator et monasticae perfectionis imitator, studiosissime ordinavit institutione S. Spiritus.“ Similia habes apud Hildemarum (circa a. 830) in Commentario ad caput 18. S. Regulae.<sup>4)</sup> Walafridus autem

1) P. L. 75, 42 seq. et 61. praecipue Joan: lib. II, cap. 6 seq. ibid. 90, III et IV.

2) ad libr. IV. de off. div. cap. 48.

3) Mabillon, Vetera Anal. edit. Parisiens 1723, pag. 93.

4) edit. Ratisbon. 1880, pag. 311—312.

Strabo, ejus tanta laus est apud viros eruditos, tamquam fidelissimi liturgicarum rerum indagatoris et veridici historiae ecclesiasticae narratoris, in cap. 25. libri quem de ecclesiasticis rebus scripsit, refert: „Ordinem cantilenae diurnis seu nocturnis horis dicendae, plenaria creditur Gr. M. ordinatione distribuisse.“<sup>1)</sup> Amalarius Fortunatus, Trevirensis Archiepiscopus in libro de divinis Officiis (quem in Codice manuscripto nunquam edito N. 1736 (XXV) bibliothecae (urbis) Trevirensis inspeximus et ejus magna pars in tomo 101, pag. 1173 seq. Patrologiae latinae (Migne) inter opera Alcuini impressa est), pluribus in locis quae apud Migne desiderantur Sanctum Gregorium Papam I. auctorem officiorum appellat. Ut brevis sim, missos facio alios hujus rei testes, veluti versus istos apud Tommasi-Vezzosi IV, pag. XXVII. „Praesul Gregorius“... usque ad „diversas celebranda per Horas“<sup>2)</sup> et Acta Concil. Lemovicens. a. 1031<sup>3)</sup> vel S. Ivonem in Micrologo<sup>4)</sup> et S. Pium V. in Bulla „Quod a nobis“ inter praelimonaria Breviarii.<sup>5)</sup> Corn. Schulting, bibl. eccles. lib. I. pers. 2. cap. 2. pag. 149.

2. Porro S. Gregorium tamquam S. Benedicti alumnum et imitatore per multos annos officium Benedictinum cum suis recitasse, non modo ex iis colligendum est quae de ejus monachatu Benedictino apud Mabillon, Annales O. S. B.<sup>6)</sup> Ewald et Jaffé,<sup>7)</sup> Pitra Analecta noviss.,<sup>8)</sup> Mitarelli, Annal. Camald. V, 600 et Amalar. l. c. exponuntur, sed etiam expressis verbis ab Hildemaro declaratur: „S. Gregorius amplexus est Benedicti officium.“<sup>9)</sup> Praeterea ipse S. Doctor lib. II. Dialogorum cap. 36. Regulam sancti Fundatoris sui ac nostri et cum ipsa Officii ordinationem divini, seu operis Dei rationem tamquam „discretionem praecipuam luculentamque“ laudat.

Praedecessoris sui Pelagii II qui circa a. 585 monachos e Monte Cassino a Longobardis pulsos, ad Ecclesiam Lateranensem vocavit, vestigia sequens Gregorius pluribus in Ecclesiis Urbis monachos instituit, ut divina ibi sedulo celebrarent officia.<sup>10)</sup> Sed et plerique

<sup>1)</sup> P. L. 114, 956.

<sup>2)</sup> cfr. etiam Guéranger Inst. liturg. ed. 2. I. pag. 164—165.

<sup>3)</sup> apud Harduin VI, 878 et Hefele IV, 662.

<sup>4)</sup> cap. 31—42. P. L. 151, 973 seq.

<sup>5)</sup> Vide Corn. Schulting, bibl. eccles. lib. I. pars 2, cap. 2, pag. 149. Granelas, Comm. in Rom. Brev. I, 4. pag. 7. Krieg, Realecycl. ed. Kraus II, 536. Pleithner, l. c. 292.

<sup>6)</sup> tom. I. lib. VI. c. 53 et Append. I et II; Vetera Anal. Paris 1723, pag. 93. nota.

<sup>7)</sup> Regesta Pontiff. n. 1082 (724).

<sup>8)</sup> a. 1885, I, 54.

<sup>9)</sup> Comment. in c. 18, S. Reg. pag. 312.

<sup>10)</sup> S. Gregor. lib. IV. epist. 18, et lib. X. epist. 61. P. L. tom. 77, col. 687 et 1114. — Dial. lib. II. c. 1. Mabill. l. c. ad ann. 580.

ex iis, qui post Magnum Doctorem Petri cathedram saeculo septimo vel octavo et incipiente nono occuparunt, summi Pontifices plurima monasteria O. S. B. circum Basilicas Romanas aedificaverunt, ut monachi ibidem habitantes, alternantibus turmis, solemniter quotidie opus Dei ibi peragerent. Ita in Basilica Lateranensi, Vaticana, S. Pauli, S. Mariae majoris, aliis.<sup>1)</sup>

3. Officium divinum, quale a S. Gregorio ejusque successoribus restauratum seu emendatum constitutumque fuit, ex libris liturgicis et auctoribus octavi et noni saeculi eruendum est. De septimo saeculo fere nil certum ad nos usque venit, nisi quaedam apud S. Isidorum Hispalensem et in libro Pontificali sparsim notata. Exinde vero ordines Romani a Mabillonio editi, et duo a Martenio et Muratori foras dati clariorem afferunt lucem, sed et S. Chrodegangus Metensis, Paulus Diaconus, Alcuinus, Agobardus et Florus cum reliquis Lugdunensibus, uterque Amalarius, Walfridus Strabo et Rhabanus Maurus, cum aliquibus Conciliorum canonibus,<sup>2)</sup> Denique libri liturgici, Antiphonales et Responsales vel etiam Psalterii cursus a. B. Thomasio editi, aliique inter opera S. Gregorii apud Migne Patrol. lat. tom. 78 et Codices horum manuscripti in bibliothecis Parisiensi et Monacensi, Bruxellensi, Karlsruhana et alibi asservati.

In ordine Romano saeculi octavi apud Martène et Durandum<sup>3)</sup> necnon Muratori „Liturgia Romana vetus“<sup>4)</sup> et Schu<sup>5)</sup> invenitur systema lectionum, ut a S. Benedicto in Regula concinnatum fuit, pro Ecclesiis Urbis, per totum annum adhibendum; ibique aliqua dicuntur „per auctoritatem Regulae“ celebrari. Jam ex Amalarii Supplem. IV, 48 apud Mabill. Vet. Anal. pag. 93 citavimus verba ista: „nos solemus eos (scil. monachos) imitari in Ambrosianis hymnis.“ Gregorius vel ex ejus successoribus quidam igitur ex S. Regulae analogia plura de novo inducens seu officiorum ordini jam existenti superaddeus, aliqua vero discrete abbrevians vel aliter ac prius distribuens, Matutinorum Dominicalium Ordinem redegit tribus Nocturnis constantem, ferialibus Matutinis fere intactis relictis.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Vide de hac de Mabill. in praef. ad Ordines Romanos, Mus. ital. II. pag. XXVIII. Martène, de ant. Eccl. rit. lib. IV. c. 2, nr. 5. Duchesne, Le liber Pontificalis. Paris 1885, tom. I, pag. 409 et 410. Des groupes de monastères fondés autour des Basiliques pour en assurer la desservance au point du vue de l'office, etc. pag. 506, 518 et seq. — De Rossi, Bulletino di Archeologia cristiana. serie 4. ann. 3. nr. IV. (a. 1885) pag. 143. ibi dicit rem esse notissimam.

<sup>2)</sup> De quibus videas Hefele, Hist. Conc. tom. III et IV, Harduin tom. III, IV et VI, Binterim, Denkw. IV. 1. et praecipue de Cornel. Krieg, Die liturgischen Bestrebungen im karolingischen Zeitalter, Friburgi 1888, ubi de istius temporis auctoribus eorumque merito et de fide eis tribuenda erudite agitur.

<sup>3)</sup> theaur. nov. Anecdotorum tom. V. pag. 107.

<sup>4)</sup> II, 391 seq. Opp. num. XIII, pars 3, pag. 1.

<sup>5)</sup> Lesungen pag. 35—36.

<sup>6)</sup> Granelas, II, 1 pag. 184 et 185.

Sex psalmos, de quibus supra, ad officium Primae dicendos reservavit. [Primae partem posteriorem i. e. Confessionem et Officium capituli, a Romanis seu monasteriorum Romanorum O. S. B. usibus jam depromptam apud Chrodegangum P. L. 89, 1067 reperies.] Officium vero Horarum minorum pro Dominica die ordinavit; ita Psalmum 118, totum 4 Horis Dominicae attribuit; cujus ordo postea fere sub Gregorio II vel III pro hebdomada tota invaluit. Officia Laudum et Vesperarum (Psalmum 62 vel 66, rejecto altero, quotidie ex Apostol. Cons. praescriptum recitare jubens, et Vesperas quinto addito Psalmo Laudibus conformans) magis perfecit. Benedicti ordinem quodammodo corrigens et convenientius disponens et augens, Completorium pro Clero constituit, Antiphonam, Ps. 30 partem, et Resp. breve et canticum addendo. Pro Lectione autem spirituali quae ipsum officium apud Monachos praecedit, in antiquis Breviariis ordinatur, ut extra chorum recitetur illa brevis lectio I. Petr. 5. Fratres sobrii estote<sup>1)</sup>. . . Versus initiales Horarum et Cantici Benedictus et Magnificat suis locis recitanda et cantum Orationis Dominicae ex Regula in usus Breviarii Romani transiisse jam observavimus. Romae nono saeculo, ut in Officio monastico praescribitur, ad Vesperas post lectionem breve Responsorium fuisse dictum, ex Amalario<sup>2)</sup> colligitur. Forte in Prima et Completorio in hujus scriptoris regione non jam dicebatur Responsorium breve.<sup>3)</sup> Quae autem S. Benedictus de hora Vesperarum mutaverat, scilicet ut non amplius tamquam „lucernarium“ initio noctis dicerentur, Sancto Gregorio vel alii officiorum reformatori summopere convenire videbantur; itaque ut ait Gavantus<sup>4)</sup> constituit (Ecclesia) ut deinceps statim post Nonam Vesperae, tamquam omnium diei horarum maxime solemne Officium, cantarentur, quo plures de populo adesse possent.

4. Sane Officium monasticum a S. Benedicto constitutum non omnino volventibus saeculis intactum remansit, sed uti e Romano cursu seu cleri Romani ordine prodierat, ita cum monachi in Basilicis Romanis officia agerent, iterum plura de isto per S. Gregorium magis elimato et aucto, deprompsit in sua. Non modo quoad textus in variis officiis cantandos, verum etiam pro ordine lectionum, cantici Alleluja, aliorumque hoc apparet. Sic in Concilio Aquisgranensi 817 praescriptum est, ut Triduo ante Pascha ordinem Romanum seu potius Breviarium cleri saecularis sequerentur monachi, et istud recitarent officium quod septimo vel initio

1) Grancolas I, 39.

2) de eccl. off. IV, 7 et de ord. Ant. 6. P. L. 105, 1180 et 1258.

3) cf. ibid. 1256 et 1260

4) Thes. rit. sect. IV. c. 4. de Vesp. ced. Merati tom. II, pag. 97.

octavi saeculi concinnatum, abbreviatis tam aliquomodo lectionibus, adhuc in Breviariis utriusque cleri exstat. Id quod optimum et felicissimum videri debet; monasticum quippe Breviarium aequae illud quod nunc vulgo Romanum dicitur et pro clero saeculari confectum est, Romana auctoritate gaudet. Nam intra provinciam Romanam ortum est, et plures Summi Pontifices Romani illud, secluso altero, monachis tum Benedictinis tum Carthusianis aliisque nedum concesserunt, imo praescripserunt, ita ut ejus titulus genuinus sit Breviarium Romanomonasticum.<sup>1)</sup>

Sufficiat haec adumbrasse. Multum in his immorari non expedire videtur. Talia autem, qualia supra recensuimus, e Regula Sancti Benedicti et monachorum usu, in Breviarium cleri saecularis transiisse, alii quoque, ipsique optimae notae auctores affirmant, velut Grancolas<sup>2)</sup> Gavantus-Merati,<sup>3)</sup> [Bona de div. Psalmid. cap. 10 et 11.] Martène,<sup>4)</sup> Selvaggio et Bingham locis supracitatis et seq. Binterim,<sup>5)</sup> Pleithner.<sup>6)</sup> Ac recentissime L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris 1889, page 437, cujus haec sunt verba: Lorsque on établit définitivement, l'unité et l'ordre des offices canon., dans le rite romain „ce fut en s'inspirant de la règle bénédictine et surtout des usages des monastères de Rome, de ces grands convents groupés autour des basiliques du Latran, du Vatican et de St. Marie Majeure.“

### Propositio quinta et Conclusio

Saeculis nono, decimo, undecimo et duodecimo nonnulla adhuc ex usibus monasticis et Gallicis in Romanum transierunt ritum. Et haec fuit semper agendi ratio in Ecclesia, ut, si qua Congregatio seu religiosa familia sanctitatis doctrinaeque laude florebat, pro Dei et Ecclesiae honore, animarumque salute magna perpetrabat: de ejus spiritu et indole aliquod totius Ecclesiae institutum reciperet, quo membra universa Spiritu divino afflante vegetius reviviscerent.

<sup>1)</sup> Decr. S. R. C. 24. Januar 1616 Urban VIII. Bulla. In cathedra principis 7. Maji 1626; item. S. R. C. 1875 et 17. April 1884.

<sup>2)</sup> I, 26, II, 1, 2, 3, 35, 42.

<sup>3)</sup> De initio Horar. sect. V, c. 1, nr. I, et infra de lectionib. item elect. IV. c. 4.

<sup>4)</sup> de ant. mon. rit. lib. I. c. 3. n. 9. et c. 6 seq.

<sup>5)</sup> IV, 1, 387 et 403.

<sup>6)</sup> Aelteste Geschichte des Breviergebetes, Kempten 1887, pag. 200, 293, 308 et 315.

Si de Ecclesiae Romanae usibus investigationem instituis, monendum censeo, ne ea quae in ordinibus Romanis a Mabillonio vel alibi editis, reperies, totius statim Ecclesiae et universi orbis, ubi Romanus ritus vigeat, disciplinam credas. Fuerunt enim illi ordines, saepissime vel fere semper, regulae quaedam quae pro sola Basilica papali sive in Vaticano sive in Laterano scriptae, solemnibus a summo Pontifice per Basilicas urbis perficiendis sacris functionibus inserviebant.

Sanctus Chrodegangus Metensis Episcopus († 760), canonicorum legislator praecipuus, qui apud Belgas in pago Hasbaniae natus et inter S. P. Benedicti alumnos in Abbatia S. Trudonis educatus fuerat, plurima pro instituendis suis coetibus ex Regula S. Benedicti deprompsit tam quoad officia divina quam quoad domesticam vitam. Cum ejusmodi ratio vivendi sub Carolo Magno et Ludovico Pio frequentius per Capitularia et in Conciliis Aquisgrani habitis pro toto fere Francorum imperio vim legis obtinuissent, ista quae a S. Benedicto mutuata fuerant, quaeque in tomo 89, 1059. *Patrol. Migne* et apud *Harduin Coll. Conc. III. et IV.* et *Hefele Hist. Conc. III. et IV.* legi possunt, ita quasi juris communis facta sunt, ut in ecclesiasticas reciperentur canonum collectiones. — Iterum tempore Amalarii ab Abbate Centulensi et S. Maximini Trevirens. Helisacharo, ut epistola ejus ad Nedibrium Narbonens. Episcopum testatur,<sup>1)</sup> non pauca in Antiphonario et Responsali mutata fuere, quae decimo vel jam nono saeculo forte sub Carolo Calvo, Romae recepta sunt. — Postea ritus Congregationum Cluniacensium<sup>2)</sup> exempli gratia de Commemoratione omnium fidelium defunctorum, de modo canendi *Veni creator ad Tertiam* per Octavam Pentecostes, alique, saeculo vero duodecimo Cisterciensium usus,<sup>3)</sup> saeculo tertio decimo Franciscanorum instituta (*Radulph. Tungrens. de can. observ. propos 22 et seq.*) *Wadding, Annales min. ad ann. 1244 et 1249.* *Guéranger, Inst. lit. I. pag. 321—324*, nonnullis Ecclesiastica officia auxerunt observantiis.

Jamvero si saeculo quarto, ut ex Basili ad clerum Necaesariensem epistola supra vidimus, monasticae traditiones ab Ecclesia ad aedificationem multorum in suum usum transferebantur, si octavo Chrodegangi institutum, posteaque Cluniacensium, Cisterciensium,

<sup>1)</sup> edita ab Edm. Bishop, *Neues Archiv.* 1886, tom. XI. pag. 564 seq.

<sup>2)</sup> de quibus vide Bernardi Ordinem Cluniacens. in *Bibl. Clun.* Paris 1614, et S. Udalrici *Consuet. Clun.* apud *Migne P. L.* 149, 635. *D'Achery, Spicil. I.* 641, *Herrgott, Vetus discipl. mon.* Paris 1726, pag. 134 seq.

<sup>3)</sup> *P. L.* 166, 1384 seq. *ibid* charta charitatis 1378. cfr. tamen *epist. 10.* *Abaelardi ad S. Bernard.* *P. L.* 178, 338—340. — „*Salve regina*“ ad *Completorium* cf. *Bona, div. psalm. Cap. 18, § 4.* et quae de *Capitula generali ac Visitatione* in *Conc. Later. IV.* *P. L.* 216, 791. et *Tridentino sess. 25, c. 20.*

Franciscanorum, usus et Praedicatorum „Rosarium,“ si denique saeculo decimo sexto Ratio studiorum Societatis Jesu et „Exercitia spiritalia“ tanta in Ecclesia valuerunt et plebem christianam aequae ac clerum mirum in modum juverunt, ut fere in leges ecclesiasticas transierint, Fundatorem ac Patrem omnium occidentalium monachorum, qui nullum non movit lapidem, ut „opus Dei“ probe stabiliatur, in illo non majoris momenti fuisse censendum est? Quidnam inusitatum novumque in eo, quod Sancti Patriarchae, cujus regula a pluribus Conciliis octavi et noni saeculi omnibus monachis quasi unice sequenda praescribebatur,<sup>1)</sup> statuta plurimum valuerunt ad divinum cultum certis normis sancendum, quid mirum, inquam, si Ecclesia ejus de opere Dei, cui nil praeponendum duxit, disciplinam et ordinationem approbans aptam putaverit, quae partim pro tota Ecclesia inserviret?

Ergo tuto affirmandum nec ullo modo infitandum videtur, Breviarium seu Cursum cleri Romani saecularis, multum debere Regulae S. Benedicti non solum in minutis quibusdam Officiorum partibus, sed etiam in structura, ratione totaque indole Horarum seu Psalterii per hebdomadam distributi. Sin autem quem movet illud quod quidam dixerunt, per hujusmodi assertiones detrahi forte honori et antiquitati et excellentiae Ecclesiae et Liturgiae Romanae, nimiumque auctoritatis tribui S. Regulae; quaeso primum, utrum monasticum Breviarium forte non sit Romanum, cum toties a Romanis Pontificibus non solum approbatum, sed monachis antiquorum ordinum unice praescriptum fuerit, quippe quod e Romano prodierit, et auspice Romana Ecclesia sancitum, Romanis Basilicis per tot saecula inservierit? Nunquam Romani Pontifices suo honore vel capitis auctoritate minus dignum putaverunt, ea quae Spiritus sanctus totum Corpus regens et vivificans in aliis membris operatus fuerat bona et utilia in Ecclesiae commodum transferre. Proinde cum doctissimo viro Thomassino<sup>2)</sup> dicendum: „Monachorum disciplina sanctissima lucem non modicam asperget iis quae de ecclesiasticis officiis huc congegimus (ibi congeremus). Quod enim a Matre acceperant, non sine foenore filii reddidere. Discipuli quidem illi primum fuere Ecclesiae; sed ii, quos ipsa deinde compendiosum sibi atque honorificum sequi duxit et imitari.“

---

<sup>1)</sup> Conciliis a. 742, 882 et 817. apud Hefele Hist. Conc. III, 467, 693 et IV, 23.

<sup>2)</sup> Vetus et nov. Eccl. discipl. de benef. Part. I. lib. II, cap. 71, nr. 6.